



Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni
magni ad trigesimum ...

Christopherson, John

[Köln], 1569

Evsebii Cognomento Pamphili Episcopi Caesareae Palestinae,
Ecclesiasticae historiae Liber Octauus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29861

EVSEBII CO-
GNOMENTO PAMPHILI
EPISCOPI CAESARAE PA-
lestinae, Ecclesiasticae historiae
Liber Octauus.

*Qualis fuerit ecclesiae status, ante presentem
persecutionem. CAP. I.*



Voniam Apostolorum successionē
in septem libris superioribus expo-
suimus, deinceps in octauo, quē iam
aggredimur, res nostris tēporibus
gestas, quæ planē explicationem, nō
plebeiam quidem & vulgarē requi-
runt, literis ad pōsterorum memo-
riam accuratē prodere animus est.

Itaque nostri sermonis inde ducetur exordium. Quātum
splendoris doctrina veræ pietatis in Deum omnium re-
rum gubernatorem, mūdo per Christum patefacta apud
omnes homines, Græcos simul ac Barbaros, ante istā per-
secutionis tempestatē, quæ nostra ingruit memoria, ob-
tinuerit, & quām libere inter eos prædicata fuerit, maius
quiddam est, quām quod nos nostra in dicēdo tenuitate
satis pro dignitate explicare possimus. Cuius rei argu-
mēto esse poterit, singularis imperatorū humanitas, qua
nostros tam benigne exceperit: quibus quidem tū pro-
uinciarum præfecturas gratuito impertierint, tū propter
incredibilem beneuolentiam, quam erga nostræ religio-
nis professionē habebāt, omni afflictatione & molestia,
quā pro Dei amore homines Christiani solēt perpeti, eos
penitus liberarūt. Quid de his attinet dicere, qui sunt in
imperatorū palatio magnam dignitatē adepti, deq; ipsis
imperatoribus, qui domesticis suis pro sermone diuino
propagādo, & pia vitæ ratiōe degēda, ipsi velut inspectā-
tes, copiā fecerūt libere & ingenue dicēdi: atq; adeo suis
ipso-

EVSEBII HISTORIAE

ipforum vxoribus, liberis & seruis, quasi palam de mira
 fidei libertate gloriandi exultandiq; potestatem permi-
 serunt? Quos certe chariores habuerunt, & magis exi-
 mie dilectos quam reliquam seruorum turbam. vt Doro-
 theum illum qui præter cæteros erga illos & beneuolen-
 tiam summam ostendit, & fidem non minorem: ac pro-
 pterea præ aliis, qui magistratus & præfecturas in impe-
 rio gerebant, amplissimum honoris gradum adeptus esse
 vt Gorgonium, qui non dissimili fama & celebritate e-
 nituit: vt alios non paucos, qui propter Dei verbū sunt
 parem cum illis dignitatem consecuti? Aut quid com-
 memorem, qua humanitate, cultu, & beneuolentia non
 illa quidem vulgari & contemnenda, prouinciarum præ-
 fectione & rectoribus, ecclesiarū præsidibus & episcopos, vt ma-
 nifesto cernere licebat, amplexati fuerint? Aut quomo-
 do quisquam conuentus illos infinita hominū turba fre-
 quentatos, multitudines in singulis ciuitatibus coactas,
 illustres hominum in templis concursus, poterit oratio-
 ne explicare? Vnde cum in antiquis illis ædificiis nō sa-
 tis loci haberent, ampliores ecclesias in vniuersis vrbi-
 bus, fundamentis earum ad maiorem laxitatem dilatatis,
 erexerunt. Et quamdiu diuina ac cælestis Dei manus po-
 pulum suum, vtpote auxilium eius promerentem obte-
 xit, suoq; munuit præsidio, tam diu neque vlla hominū
 inuidia, quo minus istæ res vnà cum tempore indies ma-
 iores progressiones facerent, incrementoq; & magnitu-
 dine augescerent, omnino potuit obistere: Neque Ve-
 sanus ille & perditus dæmon, vel suo ipsius conatu eas in
 inuidiam rapere, vel hominum insidiis vlla ex parte im-
 pedire. Verum cum nos præ nimia quadam licentiā in-
 mollitiem delicatam, & dissolutam segnitiam essemus
 prolapsi, cumq; alij aliis inuidere, maledictis insectari, &
 prope nos ipsi inter nos petulantibus linguis tanquam
 mutuis armis oppugnare, & casu aliquando verborum
 contumelias velut hastas vnus in alium intorquere, &
 præsidibus ecclesiarum, alter alterius vires infringere, &
 populus in populum seditionem concitare occiperent,
 cumq; ficta & adumbrata sanctitatis species, quæ ora-
 tione nequit exprimi, & simulatio fronte occultata ad
 immen-

immensam quandam prauitatem serpsisset, diuina ultio, dum permagna adhuc Christianorum vbiq̄ue versabatur frequentia, parcius, aliquanto remissius, & moderatius, vt solet, primò persecutione ex fratribus, qui militiam exercébant, inchoata, cœpit in nos animaduertere. Sed vbi, veluti sensibus orbat, & præstriçti mente, nulla cura aut cogitatione incubuerimus, vt diuinum nomen in nos incéium, beneuolum & placatum efficeremus, sed tanquam impij, nostras res à Deo nec curari, nec animaduerti arbutati, alia vitia aliis aceruatim adiecerimus, & pastores nostri depulsa repuditaq̄ue pietatis regula, disfidio, & contentione inter se exarserint, quin etiam nullas alias res præterquam discordias, minas, æmulatione, inimicitias & odium inter ipsos mutuò adaugere studuerint, & animis ambitionis æstu incensis tyrannorũ more, principatum obtinere laborarint, tunc demum iuxta illam Hieremiæ sententiam, obscurauit in ira sua Dominus filiam Sion, & deiecit de cælo gloriam Israel: nõ recordatus est scabelli pedum eius, in die iræ suæ, sed demersit Dominus omnem decorem Israel, & demolitus est omnes sepes eius: & sicut in psalmis propheticè prædictum erat, auertit testamentum serui eius, prophanauit in terra per ecclesiarum euerisionem sanctuarium eius, & destruxit omnes sepes eius, posuit firmamentum eius for midinem: diripuerunt multitudines populi, omnes transeuntes per viam, & propterea factus est opprobrium populus vicinis suis: exaltauit enim dexteram inimicorum suorum, & auertit adiutorium gladij sui, & non auxiliatus est ei in bello: destruxit eum ab emundatione sua, & sedem illius in terram collisit: minorauit dies temporis eius, & ad extremum perfudit eum confusione.

Hieremiæ

Ihre. 2.

Psal. 73.

Psal. 82.

De ecclesiarum demolitione.

CAP. II.

Ista omnia mala erant nostris scilicet expleta temporibus, quando sacras ædes precibus dicatas è sublimi in solum fundamentis ipsis conquassatis, deiectas, diuinas & sanctas scripturas medio foro in rogam impositas, ecclesiarum pastores hos in latebras hic illic se cum ignominia

EUSEBII HISTORIAE

Psal. 106

minia abdeantes, illos nō sine dedecore prehenſos, & ab hoſtibus ludibrio expoſitos oculis noſtris aſpeximus: quando iuxta aliam prophetæ ſententiã, effuſa eſt con- temptio in principes eorū, & aberrare fecit eos in inuio & non in via. Verum non eſt noſtrū oratione deſcribere tristes illas calamitates, quæ ad extremū inuectæ fuerūt: quando quidem neque diſcordias ante perſecutionē in- ter eos commotas, neq; abſurdos & importunos cona- tus noſtrarum partium eſſe putamus memorię commen- dare. Quocirca nihil amplius de illis ſcriptis prode- re de- creuimus, quàm vnde iuſtum Dei iudiciũ in illos decla- ratum, perſpicue probare poſſimus. Neq; propterea aut de illis, qui perſecutionis tempore animis prope cecide- runt, aut de illis, qui omnino ſalutis ſuæ fecere nauſra- gium, ſuaq; ſponte tanquam in profundum ingentiũ flu- ctuum gurgitem proiecti ſunt, mentionem facere inſti- tuimus: ſed ea ſola in hanc hiftoriam res geſtas genera- tim complectentem includimus, quæ nobis ipſis primū, deinde poſteritati adiumento eſſe queant.

De modo eorum qui in perſecutione decertarunt.

CAP. III.

IAm ergo deinceps ſacra Martyrū certamina pro Dei verbo inita ſummatim exponere pergamus. Anno de- cimo nono imperij Diocletiani, menſe Dyſtro (qui à Romanis Martius nominatur) cum ſalutaris paſſionis dominicę feſtum iam pro foribus eſſet, omnibus in locis per imperatoris literas palam editum fuit, vt tum detur- barentur eccleſiæ ſoloq; æquarentur, tum ſcripturæ ab- ſumerentur igni, tum qui honorē fuiſſent adepti, de gra- du turpiter deponerentur, tum priuati ſi modo in pro- feſſione Chriſtiana perſtarent, libertate penitus priuare- tur. Ac primum editum contra eos editum tale fuit. Nō longo tempore poſt, aliis literis exeuntibus mandatum eſt, vt omnes eccleſiarum præſides vbique gentium pri- mum conijcerentur in vincula, deinde omnibus machi- nis adhibitis, idolis victimas immolare cogerentur. Tūc igitur inciderat tempus, cum ſicut plurimi, qui eccleſiis præerant, libentibus animis verberibus grauer caſi, in

Chriſti

Christi stadio luctati sunt, & in grauibus certaminibus
 praeclare obeundis, praeclara sane spectacula hominū oca-
 lis subiecerunt ad contemplandū: sic alij infiniti confe-
 ssum animis praeformidine percussi & attoniti, facile eo
 modo primo impetu in illos facto, prorsus succubuerūt.
 Ex ceteris autē quisq; varia tormentorum genera, alte-
 rius subijt: hic plagis toto corpore dilaceratus, ille ex-
 cruciatus distorsione membrorum, alius acutis & intole-
 rabilibus nouaculis dilaniatus. Inter quos nonnulli e-
 rant, qui vix satis honestum vitę exitum consecuti sunt:
 Alij item, qui sine fructu certamen decurrerunt: Nam vt
 vnus infidelium violentia contrusus, & ad sacrificia illa
 nefaria impuraq; deductus, quamuis non immolasset, ta-
 men perinde atq; immolarat, libere dimissus est: sic alter
 quanquam nō omnino appropinquauerat, neq; quicquā
 attigerat impuri, gentilibus tamen eum sacrificasse asfir-
 mantibus, tacitus eorū tulit contumeliā, seq; inde priori-
 puit. Alius semiviuus sublatus, velut iam mortuus proy-
 eitur. Quidam prostratus humi, inq; numerum sacrifican-
 tiū relatus, longinquo spatio pedibus abstrahitur. Alius
 vociferatus est, & magna voce contestatus, se hostias pe-
 nitus repudiare: alius salutaris Christi appellationis con-
 fessione gestiens, se Christianū esse clamauit. Alter neq;
 immolasse, neq; se aliquando immolaturum asseueranter
 affirmavit. Attamen isti etiam frequentibus satellitū ad
 eam rem delectorum manibus in os verberati, & ad silen-
 dum compulsi, in vultū quoq; & genas percussi, vi e me-
 dio extrusi fuerūt. Ita pietatis hostes omnino, vel videri
 effecisse, quod animo intēdebant, permagno cęstimarūt.

*De celebribus Dei martyribus, quomodo omnem locum
 sui memoria replerunt, variis pro
 pietate coronis receptis.*

CAP. IIII

VErū cōtra sanctos martyres, quorū res gestas nullo
 dicēdi genere satis accurate explicare possum⁹, isti
 perditū infidelū conatus neutiquā ex animi sentētia pro-
 cesserūt. Infinitos enim videre licebat, qui admirabile stu-
 diū & propensionē aī pro vero Dei omnīū fabricatoris
 cultu

EUSEBII HISTORIAE

cultu & religione declararunt: idque non ex eo tempo-
 re solum, quo persecutionis ardor erat contra omnes
 Christianos incensus, sed longe ante etiam, cum adhuc
 pax tranquilla in ecclesia vigeret. Nam paulo ante illud
 tempus, cum qui imperij dominatum & potentiam occu-
 pabat, esset tanquam è graui & temulento sopore excita-
 tus, atque adeo, tempore inter Decium & Gallum inter-
 iecto, clam & ex occulto primum in ecclesias Dei inuade-
 ret, non quasi aceruatim contra nos bellum suscipiendo,
 sed eos solos qui in exercitu Romano militiam exerce-
 bant, pedetentim adoriendo (nam si prius cum illis con-
 certans, superior forte discederet, reliquos ea ratione
 facile posse capi putabat) permultos eorum, qui in mili-
 tia versabantur, cernere potuisses, qui lubentibus animis
 vitam tenuè & abiectam amplexari maluerunt, quàm pie-
 tatem & cultum erga Deum vniuersarum rerum opificè
 aliquando denegare. Vbi autem dux, quisquis tandem
 ille fuerit, iam tum primum contra eos, qui ex nostris in
 exercitu Romano militabant, persecutionem excitaue-
 rat, & illos ab aliis militibus, in quorum numerum relati
 erant segregauerat seiuixeratq; & liberam optionem de-
 derat, vel honoris perfruendi, si edicto obsequerentur,
 vel eiusdem amittendi si resisteret, multi admodum, qui
 veri regni Christi milites erant, nulla mora interposita,
 fidei in eum confessionè, falsæ & adumbratæ gloriæ, quæ
 in mundo fruerentur, sine vlla dubitatione prætulērunt.
 Inter quos iam, licet numerus perexiguus (quandoquidè
 dux lentius & moderatius adhuc in nos tendebat infi-
 dias, & paucorum admodum sanguinem fundere aggre-
 diebatur, propterea quòd multitudo Christianorum il-
 lum, vt erat verisimile, deterruit, & animum eius ne bel-
 lum contra omnes simul concitaret, retardauit) licet in-
 quam numerus perexiguus, vnus tamen & alter, non mo-
 do dignitatem amittere, sed mortem etiam pro veræ pi-
 etatis defensione oppetere voluerunt. At postquam a-
 pertius rem erat aggressus, nulla oratione, aut dicendi
 vi explicari potest, quot & quàm insignes Christi marty-
 res, his qui ciuitates quasque, & regiones incoluerunt,
 oculis cernere licuisset.

De hiis

De hiis quæ Nicomedia acciderunt. CAP. V.

Simul atque editum contra ecclesias Christi editum, in Nicomedia propositum erat, vir quidam non obsecurus & ignobilis, sed ut hominum fert opinio, lōge illustrissimus, incredibili amore erga Deū, & ardenti fide incitatus, ocyus prodit in mediū, & illud in aperto & publico loco affixū, tanquā profanum & maximè impiū manu auellēs dilacerat: idq; cum duo ex imperatoribus in ciuitate adessent: quorū alter ætate præ ceteris prouecta primū imperij gradū, alter quartū ab eo obtinuit. Atqui iste primus martyrū, qui tum occubuerūt, ad hūc modū eximie nobilitatus, taliaq; cruciamenta perpeffus, qualis erat verisimile eum qui fuisset in eiusmodi facinore deprehensus subiturum, tum constanti & virili animo, tum pacato & tranquillo, ad extremum vsque spiritum constitit.

*De iis quæ in aula Imperatoris acciderunt.**CAP. VI.*

EX omnibus, qui vnquam vel apud Græcos, vel apud Barbaros propter animi magnitudinē illustres & hominū sermone celebrati sunt, nullus cū diuinis & eximis nostri temporis martyribus. Dorotheo & suis sodalibus, imperatorū ministris cōparari potest: qui quidē cū summū honorē apud dominos adepti fuissent, & amore essent apud illos, liberis propriis & ingenuis non inferiores, probra & afflictationes pro pietate corporib⁹ impositas, noua & multiplicia mortis genera cōtra ipsos excogitata, splendidiore reuera existimarūt diuitias, quàm gloriā quàm delicias, quib⁹ hominū vita solet diffluere. Mortē igitur vnus ex illorū numero qualis fuerit, cōmemorare placet, eamq; lectoribus spectandā relinquere, ut inde quæ reliquis etiā eius sodalibus cōtigerint, animaduerti possint. Quidam illorū in ciuitate supra cōmemorata, corā imperatoribus, quos diximus, in mediū adducitur: qui cū iussus idolis immolare, omnino recusaret, mādārūt nudū in sublime tolli, flagellis eousq; toto corpore dilaniari, quoad supplicio euictus, etiā animo inuito, quod erat imperatū, præstaret. Sed vbi ista perpeffus, cōstās & immutabilis persisteret, de reliquo ossibus eius iā

X

carne

EVSEBII HISTORIAE

carne denudatis, acetum sale permixtum in corporis membra cruciati attenuata, & propè contabefacta infuderunt. Atq; ut istos dolores protriuerat, & veluti pedibus conculcarat, inde craticula, & ignis vnà in medium trahuntur, & reliquæ eius corporis tanquam carnes ad comedendum paratæ, ignis incendio, non raptim, ut breui è vita decedens omni dolore liberaretur, sed paulatim absumptæ fuerunt. Neq; qui eum imposuerat in rogam, etiam post tot tamq; graui cruciamenta ei vllù respirandi locù dare in animo habebant, nisi prius se ipsorum imperata facturum annueret: sed ille proposito suo mordicus adhærescens, victor in tormentis animâ efflauit. Tale vnus regionum famulorum martyriù extitit, appellatione sua (Petrus enim nominatus fuit) reuera dignum. Ceterorum autem sociorum eius martyria, quæ non inferiora sunt, quò orationis terminemus modù, missa in præsentia faciemus. Tantum aut exponemus, quo pacto Dorotheus & Gorgonius vna, aliiq; non pauci ex imperatoris familia post varia certaminù genera, laqueo vita deposita, diuinæ victoriæ præmia reportarint. Per idem tēpus Anthimus, qui tum ecclesiæ Nicomedensi præfuit, capite propter Christi testimonium ceruicibus abscisso, moritur. Huic ingès & frequens Martyrù turba adiuncta fuit: idq; quòd in eisdem fere diebus, forte nescio quo pacto, regia Nicomedensis incendio conflagraret, & ex suspitione quadam rumor esset dissipatus, illud facinus à nostris admissum: vnde imperatoris iussu, ex piis qui ibi versabatur, aceruatim & tanquam cumulo, alij gladio trucidati sunt, alij ardore flammarù corporibus circumiectarù obierunt: quo tēpore fama est viros & mulieres etià diuinà & inexplicabili alacritate, sua spòte in rogù insiluisse. Reliqua aut multitudo vīculis colligata, & à licitorib⁹ in scaphis imposita in vastù maris gurgitē, fluctusq; præcepit iecta fuit. Famulos illos regios post mortē decoro & celebri funere terræ mādatos, imperatores, qui eorù dñi putabatur, rursus de integro effodiēdos, inq; mare præcipitōs sentētiis decreuerūt: ne ut eorù ferebat opinio, quidā eos in sepulchris & monumētis cōditos, deos esse reputātes diuina veneratiōe prosequerētur. Quæ in initio

per-

persecutionis Nicomedię fuere patrata, sic fere se habet. Non longo tēpore pōst, cū alij in Melitina (sic regio illa est appellata) alij rursus in Syria, imperio insidias parare molirētur, edictū imperatorū exiit, vt oēs ecclesiarū p̄sides, vtpote ea de re suspecti, in carceres & vincula cōiicerentur: adeo vt spectaculū illarum rerū, quę deinceps ibi gerebātur, omnē explicandi facultatē longe superet. Nā multitudo infinita vbiq; gentiū in custodiā cōclusa fuit, & carceres passim, qui iam olim homicidis, & mortuorum sepulchris conditorū expilatoribus parati fuerāt, tunc episcopis, presbyteris, diaconis, lectoribus, & exorcistis penitus referti: adeo vt his qui maleficiis tenebantur obstricti, nihil illic loci esset reliquum.

De Aegyptiis in Phœnice. CAP. VII.

Cum aliud edictum statim primū illud insequeretur, in quo p̄cipiebatur, de his qui tenebantur in carcere, vt qui immolare vellent, abire in libertatē permitterentur, qui inficias irent infinitis tormentis diuerterentur, multitudo martyrum, qui denuo in singulis prouinciis occūbebant, à nemine dinumerari potest: & eorū maxime qui in Affrica, in gente Maurorū, in Thebaide, in Aegypto deniq; martyrio defuncti sunt. Ex Aegypto aut in alias vrbes & prouincias etiam progressi, martyrii coronis erāt insigniter decorati. Quosdam enim ex illis in Palæstina propter patientem tormentorum perpersionem, claruisse scimus: alios Tyri Phœnicie magnā laudem collegisse: quos quidē, quis est qui non supra modū miratus fuerit, cū oculis cerneret, innumerabiles plagas, & egregiā athletarū reuera admirabiliū in his pro pietate & religione concertantiū constantiam, & statim post plagas, dimicationem cum bestiis voracibus, inq; ea pardorū, vrsorum immaniū, aprorū agrestiuū, taurorū deniq; igne & ferro ad rabiem acriter incitatorū, impetus, & eximiam generosorū martyrum contra cuiusq; bellie ictum tolerantia? Quibus quidē rebus, dū gerebantur, ipsi interfuimus, diuinamq; potentia seruatoris nostri, ipsiusq; Iesu Christi, cui illi in cruciatu p̄clarum testimonium perhibebāt, id temporis p̄sto martyribus opē tulisse, & euidenter seipsam eis ostendisse animaduertimus. Nam

EVSEBII HISTORIAE

belluæ illæ rapaces, longo tēporis spatio, neq; sanctorū corpora atrectare, neq; ad ea prope accedere audebāt, sed in infideles qui extra repagula, alius aliū de, incitatio ne quadā eas in martyres instigarunt, impetu ferebātur. Et quanquā sancti Dei athletæ, nudi consistebant in medio, manibusq; eas protocabant, & in se pertrahere conabātur (hoc enim vt agerēt illis erat imperatū) illos tamē solos nō omnino attigerunt: verū interdum dum in eos irruebant, tāquam diuiniore quadā vi ac virtute fuerunt repulsi, & retro denuo quām mox resilierūt: quod cū diu fieri cerneretur, nō exiguā infidelibus spectantibus excitauit admirationem, vsq; adeo vt prima bestia frustra incurfante, secundā & tertiā in vnū eundēq; martyre dimitterēt. Interea nō modo virilē & intrepidā sanctorū illorum animi tolerātiā, sed firmā etiā atq; inflexibilem in teneris corporibus constantiam cum stupore quodā mirari licuerat. vidisses enim adulescentulū nō viginti annos integros natum, nullis constrictū vinculis, firme consistentem, manibus in crucis modum è trāsuerfo expāsis robusta & excelsa mente in precibus ad Dei numen fundendis attentissime defixū: neq; omnino se commouentē, neq; in hanc vel illā partē de loco, in quo steterat deflectentem: idq; cū vrsi, & pardi furorē & mortē in eum exhalarēt, cūq; iam eius carnē dentibus lacerare aggredirentur: quorū ora diuina quadā & inexplicabili potentia nescio quo pacto, fuere propē obturata, & iterū ipsi retro properē recurrerēt. sed de isto hoc modo. Alios rursus cernere potuisses, (oēs enim simul quinque erant) aggressi & imani tauro obiectatos: qui nōnullos ex infidelibus propius aduentātes, cornibus in aerē cōiecit, eosq; discerpit misere, & semiuiuos hominū manibus inde auferendos reliquit. verū ad sanctos martyres solos, dū furore & rabie exardescēs in eos irrūpere conabatur, ne appropinquare quidē poterat: & tamen si pedibus atq; cornibus huc illucq; vibratis insultabat, & cauteriorū incitamentis lacepsitus contra illos terrorem spirabat, tamē retrogrado cursu diuina sacri numinis prouidētia repulsus fuit. vsq; eo vti cum iste illos neuiquam lesisset, alias belluas in eos immitterent. Ad extremum post graues & varias

varias illarum etiam incursiones, ense obtruncati fuerunt,
& marinis fluctibus sepulchrorum loco mandati.

De iis que in Aegypto acta sunt. CAP. VIII.

Talis fuit Aegyptiorum pugna qui Tyri pro vera pietate, præclara certamina obierunt. Illos autè, qui sunt in ipsa Aegypto patria sua martyrio defuncti, nemo est, qui non magnopere admiretur. vbi viri cū vxoribus & liberis numero prope infiniti, pro seruatoris nostri doctrinæ, vita fragili & breui temporis momento duratura penitus neglecta, varia mortis genera subierunt. Quorum alij post cuticulam nouaculis laceratâ, post mēbra luxata & distorta, post corpora flagellis acerbissimis laniata, alijsq; infinitis, variis & dictu horrēdis tormētis excruciatâ, in ignē tandē iniecti fuerūt. Alij in altū pelagus præcipitati: alij lictoribus sua capita amputâda fidētī animo obiecerūt, alij occubuerūt, ipsis cruciamētis oppressi: alij fame confecti interierunt: alij rursus patibulis suffixi: quorum nonnulli tanquam malefici suspensi, alij deteriore modo, capite in terram demisso, clauis firmati & viui vsque eo seruati, quoad ipsis patibulis fame contabescerent.

De iis que in Thebaide acta sunt. CAP. IX.

Nullo dicendi genere explicari potest, quænam verbera, quas ærumnas, martyres in Thebaide exantlarint, testis acutis vngularum loco admotis, per totum corpus ad extremū spiritum dilacerati. Mulieres autem vno pede alligatæ, sublimes in aerē capite deorsum statuto, quibusdâ machinamētis attractæ, nudis omnino & detectis corporibus, spectaculum fœdissimum, crudelissimū omniū, & ab omni humanitate alienissimū intuentiū oculis exhibuerunt. Homines rursus arboribus & earū ramis astricti perierunt. Nā cum duos ramos robustissimos illos quidē machinis quibusdâ in vnū attraxissent, ad vtrumq; illorū, martyrū crura distinentes affligētēsq; eos impetu quodâ denuo pro natura sua distēdi, diffundiq; dimiserūt: sicq; illorum mēbra in quos ista excogitabāt, repētino impetu distrahta fore suspicati sunt. Neq; hæc certe fluere ad paucos dies, aut ad exiguū tempus, sed diu admodū, ad amorū integrorū spatiū, continuat

EVSEBII HISTORIAE

suata: in quo quidē spatio erant interdū plures quā de
cē, nonnūquā viginti numero, & amplius eo, saepe nō pau
ciores q̄ triginta interfecti: iam p̄pe sexagīta, aliquando
rursus centū viri, vno die, simul cū tenellis admodū libe
ris & mulieribus morti additi, & variis suppliciorū ge
neribus, vicissitudine quadā admotis trucidati. Ipsi etiā
cū forte in eisdē locis versaremur, cōplures cōfertim v
no die sumus oculis contēplati: alios ignis incēdio peri
mi, alios securi percuti, vsq; adeo vt tū securis ipsa ferie
do obtūderetur, & velut crebriore icū debilitata infrin
geretur, tū carnifices ipsi trucidādo defatigati mutuis o
peris traditis, alter ad alterū subleuādū, succederēt. Quo
quidē tēpore mirandā supra modū alacritatē, vimq; reue
ra diuinā, & singularē animi propēsiōē eorū, qui in Chri
stū dei crediderūt, intuebamur. Simulatq; enim sentētia
cōtra priores pronūtiata fuit, alii aliunde ad tribunal iu
dicis proflire cōperūt: seq; Christianos cōfiteri: acerbi
tates & multipliciū tormētōrū modo pro nihilo putare:
absq; metu & terrore libere pro religione & cultu Dei
omniū rerū moderatoris loqui: cū gaudio, deniq; risu, &
læticia postremā mortis sentētiā excipere, sic vt psalmos,
hymnos, & gratiarū actiones in deū totius mūdi cōdito
rē, quoad extremū spiritū edidisset, lætis aīs decātarent.

De Philoroma & Phileam martyribus. CAP. X.

ATq; isti martyres admiratione digni quidē fuerūt:
sed illi præ cæteris videbātur egregie admirabiles,
qui quāuis diuitiis, nobilitate, gloria, eloquētia, &
philosophiæ cognitione illustres essent, hæc oīa tamen
pro vera pietate & fide in seruatorē & dominū nostrū se
sum Christū pro nihilo ducerēt: talis erat Philoromus,
vir magistratū nō illū quidē vulgare adeptus, sed ad Im
peratoris negocia Alexādrīe procurāda delect^o: qui non
sine magna gloria & honore (vt Romanorū mos fert) à
satellitib⁹ stipatus, in dies singulos de cōtrouersis ad se
relatis iudiciū tulit. Talis Phileas etiā Chimitēsis eccle
siæ episcopus, vir plane cū in ciuilibus patriæ institutis,
& ecclesiæ ministeriis valde præstabilis, tū philosophiæ
disciplinis eximius. Isti duo cum permulti & cognati, &
alii amici eos obsecrassent, cū præterea viri primarii, qui
cū imperio erāt, orassent, cū ipse iudex deniq; hortat⁹ es
set, vt sui ipsorū caperēt misericordiā, liberorūq; & vxorū

eurā ducerēt, nequaquā eiusmodi virorū pręcibus adduci poterāt, vt vitę cupiditate aliqua ex parte delectarentur, & diuinas leges de cōfessione & negatiōe seruatoris nostri penitus contēnerent: sed virili aīo, & mēte digna philosophis, imō vero pia & digna deo, contra omnes iudicis minas, contra contumelias fortiter se opponentes, ambo capitibus abscissis abirent ē vita.

De iis quę patrata sunt in Alexandria, perdita scriptis testimonia. CAP. XI.

Sed quoniā Phileā ppter humanioris literaturę notitiā crebro hominū sermōe prędicatū dixim⁹, ipse sui ipsi⁹ in ea re locuples testis accedat, & partim, seipsū quā tandē fuerit, ante oculos cuiusq; proponat, partim martyria, quę eius ętate Alexandrię cōtigerint, accurati⁹ multo, quā in nostra sitū est potestate, narret his verbis: quę quidē ab ipsius literis ad Chinuitas perscriptis petita sūt. Beati martyres, qui apud nos occubuerunt, pręclara illa exēpla, monita salutaria, & insignes pręceptiōes, in diuinis & sacris literis nobis ad imitādū propositas, nulla ex parte cōtēnentes, oculos animi in deū omniū effectorem exquisite intēdebāt: & mortē pro pietate oppetere secū statuētes, mordicus suę vocatiōi adhærescebāt. Ac quoniā isti sancti martyres Christi insignibus decorati, dominū nostrū Iesū pro nobis hoīs naturā induisse pro certo cognouerāt, vt omne peccatū radicitus extirparet, & vitica nostri itineris ad vitā æternā suscepti, nobis suppediaret (nō enī rapinā arbitratus est se esse æqualē deo, sed seipsū exinaniuit formā serui accipiēs, & habitu inuētus est vt homo: humiliavit seipsū vsq; ad mortē, mortē autē crucis) isti inquā idcirco meliora dona æmulātes, omnē cruciatū, oīa suppliciorū genera, quę poterant excogitari, nō semel, sed iterū atq; iterū sustinuerūt. Atq; prę omnibus satellitū terroribus, quos laborabāt nō verbis solū, sed rebus ipsis obnixē eis iniicere, nō demiserūt animos neq; succubuerūt, ppterea q̄ perfecta in illis charitas timorē foras miserat. Quorū eximiā fortitudinē, & ecclēsiā in singulis tormentis animi magnitudinē, quę tandem oratio poterit explanare? Et cū libera potestas omnibus pmilla esset, cōtumelias, & pœnas illis pro arbitratu inferēdi, hi fustib⁹, illi virgis, alii flagellis, nōnulli lorīs

Philip. 2.

Ioan. 4.

EVSEBII HISTORIAE

multi funibus eos perculerunt. Atque spectaculum nouis
 vicissim plagarū & supplicii generibus erat variatum, &
 multū probri habuit, & ignominia. Quidā enim primum
 manibus à tergo colligatis ligno appēsi, & machinis qui
 busdā membra eorum vniuersa distenta distracta; Deinde à
 tortoribus ex mandato magistratuū per totū cor-
 pus grauiter diuexati, & non quēadmodū cum homici-
 dis agi solet, latera solum, sed venter, tibiā, & genā fla-
 gris ferreis cæsā: alii pependerūt, ad porticū vna manu
 affixi, et Carticulorū, membrorumq; distensionē, quę om-
 nē doloris superabat acerbitatē, pertulerunt. Alii vultu
 alterius in alterū obuerso ligati, & columnis pedibus nō
 ad terrā demissis, appensi, sic vti. cū funes acrius retrahe-
 rentur & cōtentius, corporis grauitate ac pōdere acer-
 bius premerentur. Neq; tantisper solum dū præses cum
 illis quæstione disceptabat, illisque examinādis vacabat,
 sed per totum ferē diem istud supplicii genus sustinue-
 runt. Quando enim ab illis ad alios profectus est, mini-
 stros ipsius authoritati obsequentes reliquit, qui priores
 accurate obseruarent, si forte quisquam tormentis eui-
 ctus, cedere videretur. Mandauitque vt acerbe, & sine re-
 missione vlla funibus distorqueretur: & deinceps
 cum iam iam essent animam acturi, rursus in terram de-
 missi, passim misere raptarentur. Neque enim de nobis
 vel minima cura in eorū animis resedit, sed omnia in nos
 perinde tum excogitare, tum re præstare videbantur, ac
 si homines non fuisset. Præter alia tormentorum ge-
 nera istud nouum præterea, quod sequitur, aduersarii no-
 stri inuenerunt. Nonnulli enim post verbera, in compe-
 dibus ligniis positi erant, & pedes, alter ab altero, ad
 quartum foramen distenti districtique, adeo vt necessa-
 rio supini iacerent, nec possent propter plagarum vulne-
 ra recēs toti corpori inflicta, se vllō modo commouere.
 Alii in solum proiecti, pro crebris tormentorum icti-
 bus, quos pertulerant, semineces iacuerunt: & propter va-
 ria ac diuersa cruciamentorum stigmata, quæ in corpo-
 ribus habebant, miserabilius spectaculum quàm cum tor-
 quebantur oculis contemplantium subiecerunt. Ex his
 autem qui ita se habebant, nonnulli in cruciatu mortui
 sunt,

li. febrj

sunt, & singulari animi tolerantia, aduersarium prorsus confuderunt. Alii semineces in carcerem conclusi, non multis diebus post, dolorum grauitate oppressi excedunt à vita. Reliqui valetudine & viribus curatione recuperatis, tēporis lōginitate, carcerisq; vsu & velut cōtritu multo euadunt sidentiores. Sic igitur cū esset singulis illorū praeceptū, libera data optione, vel victimas execrabiles cōrectandi, quò liberarentur molestiis, & prophana atq; execrabili ab illis libertate potirentur, vel nō sacrificādi, sententiā mortis exciperēt, illi absq; mora ad mortē libētibus animis gradiūtur. Norūt enim pro certo ea, quæ à sacris literis nobis præscepta sunt. Qui diis alienis, inquit scriptura, immolat, delebitur. & quod nō erūt tibi dii alieni præter me. Eiusmodi sunt voces Phileæ Martyris cum sapiētia, tū dei ipsius amore inflāmati maxime, quas ante extremā de eo in iudicio latā sententiā, cum adhuc esset in carceris custodia, ad fratres ecclesiæ, cui ipse præerat per literas misit. Partim vti quo loco res illius erāt, illis exponeret, partim vti eos hortaretur, vt pietate in Christo, post mortem suam quæ breui ipsum esset occupatura mordicus adhæresceret.

Esa. 57.

Hic inscripta sunt ea quæ in fragmētis. 8. li. continentur.

De iis qui in Palestina martyrium pertulerunt.

CAP. XII.

EX Palæstinæ martyribus primus erat Procopius, qui ante, quàm carceris satis magnū fecisset periculum, statim à primò ingressu cum in iudicio coram præsidibus sisteretur, & ei imperatū esset, vt diis eorū immolaret, vnū solū deū se scire dixit: cui sicut ab eo ipso præceptū est soli esset sacrificādū. Postquā vero quatuor imperatoribus hostias etiā offerre illi mandatū fuit, sententiam quandam, quæ illis parum arridebat elocutus, hoc scilicet Homeri carnem:

Non bona res multi domini, rex vnicus esto.

Extemplo securi percutitur. Post istū, Alphæus, & Zachæus cū post verbera & nouaculas, post vincula aspera, grauesq; in eisdē dolores, post alias diuersas in tormētis quæstiones, post pedes dies noctesq; cōpedibus ligneis quatuor foraminū interuallo interposito distētos distractosq; decimo septimo die mēsis, qui vocatur Dius, hoc est

Y 5

est

EVSEBII HISTORIAE

est apud Romanos ad decimū quintū Calend. Decembris, vnū solum deū, & solum Iesum Christū regē libere essent cōfessi, velut aliquid locuti blasphemiae, pari ratione cum martyre superiore capitibus abscissis ex hac luce decedunt. Ea porro, quae erant Antiochia, eodē die, de Romano martyre factitata, memoria plane digna videntur. Iste enim Palaestinus genere, ecclesiae Caesariensis diaconus & exorcista, cum pariter Antiochia in ecclesiarū vastatione forte versaretur, complures viros simul cum vxoribus & liberis aceruatim ad idolorū delubra properantes, & iisdē hostias immolantes intuitus, spectaculum neutiquam tolerandū arbitratus est: & propterea singulari pietatis studio incensus accedit propius, & magna voce exclamans, eos grauiter redarguit. Qui propter hoc tam audax facinus, p̄hensus, generosissimus (si quisquam alius) testis declaratur veritatis. Nam cum iudex mortē illi ignis incendio infligendam pronuntiasset, ille vultu hilari, & aīo maxime læto, sententiā lubens amplexatus, ad supplicii locū abducitur. Deinde vbi alligatur ad palum: & dum ligna illi circum circa coaceruabantur, & hi qui incēderēt rogam, imperatoris iam p̄sentis sententiā expectabant, clamauit vbi mihi ignis quæso? Hæc locutus, accersitur ad imperatorē, quo nouū & inusitatū genus supplicii sustineret: vt lingua nimirū illi amputaretur: quod fortissime perpeffus, rebus omnibus declarauit, diuinā vim illis, qui aliquid pro pietate subeant acerbitatis, opē semper apportare solere, cū labores et grūnas alleuando, tū animi alacritatē firme corroborando. Ille enim simul atq; nouum illum supplicii modū intellexit, pro generosa animi alacritate neutiquam obstupefactus, lubens extendit linguam, & paratissimo animo eam licet ribus quasi instructam p̄bet. Post quod supplicium in vincula coniectus, longinquo temporis spatio ibi afflictatus, tandem cum vigesimus annus regni imperatoris aduentaret (quo ex decreto concessum erat, vt libertas, omnibus qui vinculis vbique constricti tenebantur, palam p̄dicaretur) solus iste in compedibus iacēs, vtroque pede ad quintum foramen distracto, laqueo collo circumiecto strangulatus, martyrio demū sicut ei erat in optatis, decoratur. Et quāquā extra patriā subit

martyriū, tamē cū Palæstinus genere sit, dignus videtur, qui in Palæstinorū martyriū numero merito reponat. Hęc igitur primo anno, cū persecutio solū cōtra ecclesiæ præfides grassaretur, hoc modo in Palæstina gesta fuerunt.

De Timotheo, Agapio, & Thecla, & aliis octo martyribus, & de principum mutatione, & imperii dissidio. CAP. XIII.

Secundo anno iam aduentanti, cum bellum cōtra nos vehementius exardesceret, & literæ imperatorum (in quibus generali edicto præceptum erat, vt vniuersa plebs in singulis ciuitatibus idolis immolare, & libamina offerre cogerentur) iam primum ad Vrbanum id temporis prouintia illius præfectum perlatae essent. Timotheus, Gazæ vrbis Palæstinæ, infinitis propè tormentis exantlatis, ad extremum in rogū lentius aliquanto & remissius exardescētē impositus, maxime germanā germanæ erga Deū pietatis probationē per patientiā in omnī cruciatus genere ostentatā demonstrauit, & coronā, quæ sanctis Dei athletic pro pietatis victoriā cōcertantibus tribui soleat, ad extremū reportat. Tēpore autē eius martyrii, Agapius & Thecla quæ nostra vixit etate, constantiā animi maxime generosam declarantes, bestiis ex sententiā iudicis traduntur deuorādi. At quis tādē est, qui illa, quæ sequebātur aut oculis cōspicatus, nō miraretur, aut solū auditiōne accipiēs, nō obstupesceret? Nā dū gentiles publica festa inter se celebrabāt, & cōsuetā agebant spectacula, inter alia, quæ magnopere ipsis in optatis erāt ad contemplandū, crebro hominum sermone ferebatur, Christianos qui dudū erāt ad bestias dānati certamē cōfecturos. Cū vērō huius rei fama latius manaret, & apud oēs passim vagaretur, adolescētes numero sex, quorū vn⁹ genere Pōticus noīe Timolaus, alter ex tripoli vrbe Phœnicie, qui Dionysius nūcupat⁹ fuit, tertius ecclesiæ Diospolis subdiaconus, qui Romulus dictus est, quartus Paulus, & quintus Alexander vterq; Aegyptius, sextus huius gentilis Alexander ex vrbe Gaza, proprias manus, quō ardentem martyrii cupiditatem significarent, ante colligātes, ad Vrbanū qui iā bestias ad Christianos dilaniādos emissurus esset, curriculo currūt, seq; Christianos libere cōstentur: atq; ipsa sua propēsiōne tanq; ad acie instructa, & ad quodq; discrimē admodū parata liquido
decla-

EVSEBII HISTORIAE

declararunt eos, qui in vero Dei omnium rerum fabrica-
 toris cultu gloriantur, violentas inmaniū ferarū incur-
 siones, nequaquā formidaturos, Vnde profecto tum ip-
 sum praesidem, tum illos, qui cum eo erant, in repentinā
 admirationē traducētes, extēplo in carcerē cōtrudūtur.
 Non multis diebus post, alii duo fuere in eorum nume-
 rum ascripti: vnus, qui a serba & varia tormēta propter
 fidei suæ confēssionē variis tēporibus ostentatam, antea
 exhausisset, Agapius nomine: Alter qui res ad corporis
 vsum necessarias illis Martyribus subministrasset, Dio-
 nyssi⁹ appellatus. Omnes isti, octo numero, vno die, nēpe
 vigesimo quarto mensis Dystri, hoc est ad nonū Calen-
 Aprilis in ipsa Cæsarea securi percussi obeunt. Per idem
 tempus duo ex imperatoribus, quorum alter primum ac
 summum imperii gradum, alter secundum post illum ob-
 tinebat, ad priuatam quandam vitæ rationem se transtu-
 lerunt. Atq; respub. languescere & ægra esse cœpit. Pau-
 lo post, imperio Romano contra se dissentiente, bel-
 lum graue & acerbū inter ipsos imperatores mutuō ex-
 citatur: neque seditio ac tumultus in ea commotus prius
 sedatus fuit, quā pax aduersum nos in vniuersis orbis
 partibus, quæ Romano paruere imperio, firma constitu-
 eretur. Nam simul ac illa omnibus, instar lucis cuiusdam
 ex tenebricosa & obscura nocte exorta fuit, communis
 imperii Romani status iterum ad stabilitatem, amicitia,
 & pacem restituitur, mutuamque concordiam, quam à
 maioribus acceperat recuperauit. Verū de his rebus
 copiosius differendi, est aliud tempus magis opportu-
 num nobis reseruatū. Iam vero ad ea quæ sequuntur
 pergamus.

De Apphiano Martyre.

CAP. XIII.

Maximinus Cæsar, qui suis ipsius viribus ac manu
 imperium occupauerat, perspicua odii & impieta-
 tis erga Deum animo suo tanquam naturaliter in-
 sitæ & innatæ indicia, omnibus commonstrans persecu-
 tionem magis generalem quā superiores imperatores
 contra nos instituit. Proinde cum perturbatio & con-
 fusio

fusio non exigua illa quidem, omnibus impenderet, & alii, in alia loca essent dispersi, seduloque periculum evitare studerent, & grauis commotio vbique passim peruaderet, quæ orationis & dicendi facultas ad diuinum amorem & libertatem in fidei in Deum cõfessione, beatæ Martyris Apphiani digne explicandam, satis idonea reperitur? Qui quidem in festo, quo gentiles Hecate sacrificare solent, omnibus Cæsareæ ciuibus admirabile suæ in Deum solum pietatis exemplar proposuit cõtèmplandum, neque tamen adhuc vigesimum ætatis suæ annum egit. Qui primum Beryti, quò liberalibus humanioris literaturæ disciplinis erudiretur (quippe fuit parentibus, qui mundi diuitiis affatim circumfluebant ortus) longo tempore commoratus, incredibile dictu est, quo pacto in tali tamque vitiosa & corrupta ciuitate, iuuenilium cupiditatum impetus penitus deuicerit, & neq; præ ætatis flore, quo iam corpus viguit, neque præ familiaritate & necessitudine adulescentulorum, quibus cum vixit, mores deprauatos combiberit, sed temperantiam amplexatus, modeste, sobriè, & piè secundum eam religionem, quæ est Christianorum propria, vitam traduxerit institueritque. Quod si patriæ illius mentionem facere oporteat, & illam ob istum generosum pietatis athletam ex ea editum ornare, hoc plane efficiemus, nec immerito. Si quis igitur Pagas Lyciæ non obscuram sane ciuitatem norit, inde hic adolescens ortus erat: qui post reditum à scola & institutione, qua fuisset apud Berytũ educatus, patre illius iam principatum totius patriæ occupante, vitæ consuetudinem, qua cum patre & aliis cognatis utebatur, propterea quòd illi neuiquam animum inducerent, vt secundum pietatis instituta vitã degeret, ferre nõ poterat, sed tanquam diuino spiritu correptus, & naturali quodam, imo cœlesti & vero sapientiæ amore inflammatus, altiora animo complexus, quàm quæ falsa & vmbatilis mundi gloria fert, blandis corporis lenociniis repudiatis, clam amicis & familiaribus suis aufugit: & nequaquam sumptuum, qui ipsi ad vitam necessario suppetere deberent, vllam curam habens, propter spem & fidem in Deum, fuit à diuino spiritu ad vram

Cata-

EUSEBII HISTORIAE

Cæsaream tanq̄ manu deductus: in qua martyrij corona,
 que est merces pietatis, ei preparata fuit. Dū erat nobiscū
 vnā ex sacris literis exiguo illo tēporis spatio, quo vixit,
 tantū percepit fructus, quantū à quoq̄ percipi poterat,
 & disciplina ad pie viuendū aptissima seipsum exercens,
 attentissime viam ad mortem munivit. Quinetiam qua-
 lem vitæ exitum declararit, quis est, qui in eum intuēdo
 nō obstupesceret? Aut quotus quisq; rursus est, qui eius
 animi fidentiam, liberam mentis celsitatē, cōstantiam, &
 maximē omniū fiduciam, & conatū ipsum, in quibus argu-
 mēta veræ in Deum pietatis & feruentis spiritus, qui pla-
 nē supra hominē putandus est, perspicue apparuerūt, nō
 fama & auditione affectus, optimo iure admiraretur?
 Nam cū tertio anno persecutionis nostræ, regnāte Maxi-
 mino, secūdus in nos ciceretur tumultus, & tyranni literę
 tū primū ad Vrbanū platæ essent, vt oēs cuiusq; generis
 & ætatis (magistratibus in quaq; ciuitate omni cura ac
 studio in eā rē iræcūbentibus) diis eorum immolarent, &
 præcones per totā vrbē Cæsareā viros cū vxoribus & li-
 beris ad idolorū delubra ex edicto præsidis conuocarēt,
 & tribuni itē quemq; ex scripto nominatim appellarent
 (vnde oīa loca inexplicabilibus miseriarū fluctibus re-
 dūdabant) Iste quē dixi Apphianus (nemine quid esset
 facturus ei cōscio) clā nobis qui in ædibus cum illo era-
 mus, clam etiā vniuersa præsidis cohorte, fidēti aīo ad
 Vrbanū iā sacrificantē accedit: atq; audacter & absq; for-
 midine eius dextrā præhendēs, extēplo ab immolando
 coercuit, prudēterq; admodū & grauitē cū diuina qua-
 dā animi cōfessione & alacritate ab errore desistere hor-
 tatus est. Nā parū rectū esse, vt vno & solo vero Deo re-
 licto, idolis & dēmonibus hostias offerret. Istud planē, vt
 videtur adulescētulus aggressus est diuina vi & potētia,
 ipsum ad hanc rē impellente, & per facinus ab illo admis-
 sum pene in aures omnium inclamante, tantum abesse vt
 vt Christiani, qui hoc nomen verē vsurpant, à pietate in
 Deum omniū aūthorē, qua semel sunt imbuti abducatur,
 vt nō modo minas, terrores, & oīa suppliciorum genera,
 quæ eosdē sequi solēt, strenue superēt, sed deinceps etiā
 magis fidēter loqui, & lingua ingenua ac neutiquā metu
 hāsitante

hæsitante, fidẽ libere cõfiteri, & si fieri posset, etiam per-
secutores ipsos & carnifices ab ignorationis cæcitate
auocare, & ad vnum solum Deum agnoscendũ impelle-
re audeant. Hac igitur de causa, iste de quo instituitur
oratio, cõfestim (quod verisimile erat homini in tali fa-
cinore deprehenso euenturum) à præfecti stipatoribus,
tanq̃ agrestibus belluis in eum furentibus dilaniatus, &
infinitis plagis toto corpore quas fortissime sustinebat,
excruciatu, ad tẽpus in carcerẽ cõcluditur. In quo vnũ
diem noctemq; vtroq; pede compedibus ad cruciatum
paratis, longe à se mutuo distento diuexatus, post die
ad iudicem educitur. Ac simul atq; compellebatur ad sa-
crificandum resistit, & summam animi tolerantia ad ærũ-
nas horredosq; dolores ferẽdos mõstrauit: adeo vt car-
nifices latera eius nõ semel atq; iterũ, sed sæpius ad ossa
vsq; & intima viscera dilacerare, plagas & verbera in os
& cervicẽ infligere pergerent, vt vultus eius verberum
vibicibus intumescẽs, ab iis qui illum probe & accurate
ante de facie nouissent, ne agnosci quidẽ amplius posset.
Verũ cum ne huic quidem dolorũ cumulo vlla ex parte
succuberet, tortores ex mādato præsidis, pedes lino tin-
cto oleo, eoq; incẽso obuoluẽtes, afflictarũt. vnde quan-
tos & quã graues dolores beatus ille exhauserit, mihi vi-
det nõ posse dicẽdo exprimi. Pervasit enĩ per carnes il-
lius easq; absumpsit, & in osciũ penetrauit medullas, vsq;
adeo vt totius corporis humor instar ceræ tabefactus li-
quesceret destillaretq;. Cæterũ ne in his quidẽ cruciati-
bus demisit aĩm, sic vt iam aduersarii & carnifices incre-
pibili eius tolerãtia, quẽ cõmunẽ hoĩs natura lõge supera-
uit, fere defessi essent: vnde rursus in vincula compingi-
tur. Triduo post ad iudicẽ denuo productus, & eandem
pietatis cõfessionẽ liberẽ exprimẽs, licet iam deinceps
prope mortuus esset, maris tamẽ fluctibus submergẽdus
traditur. Miraculum autẽ quod statim post est consecu-
tum, si à nobis cõmemoretur, verisimile est nullam fidem
habiturum, apud eos præsertim, qui eandem oculis mi-
nimẽ ipsi conspexerint: at licet homines vix fidẽ illi ad-
hibituros satis intelligamus, ratio tamẽ nõ patitur, quin
omnino rẽ vt gesta erat scriptis p̃damus: quippe cum oēs
(vctẽ

EUSEBII HISTORIAE

(verè dixerim) qui Casaream incolunt, eiusdem testes habere videamur. Nulla enim aetas Cæsariensium ab isto admirabili spectaculo abfuit. Simul atque igitur sanctissimum illum & beatissimum Christi martyrem mediomari, vt illis videbatur, in profundissimos vortices coniecerant, ex improviso tanta procella, non vñtata illa quidem, tanta etiam turbatio, non per mare solum, sed per vniuersam continentem se diffundebat, vt cum terra, tum tota ciuitas, eius impetu & violentia concuteretur: atque vnà cum isto mirando & repentino terræ motu, ipsum mare martyris cadauer, vtpote tam sacrum pondus sustinere non valens, ante portas ciuitatis eiiceret. Eiusmodi igitur sunt res gestæ sancti Apphiani, qui die Parasceues, hoc est secundo die mensis Xanthici, id est, ad quartum Non. Aprilis, martyrio occubuit.

De Vlpiano & Aedetio Martyribus.

CAP. XV.

Eodem tempore, iisdemque ferè diebus, in ciuitate Tyriorum adolescens nomine Vlpianus, post acerbissimas plagas, & verbera grauissima, in pellem bubulam iam nuper extractam cum cane, & aspide inuolutus, præceps in mare deiicitur. Quapropter videtur mihi merito post res Apphiani in martyrio gestas, in sermone nostro recensendus. Non longo tempore post Aedesius non solum Apphiani secundum Deum, sed etiam secundum sanguinis coniunctionem ex patre germanus frater, germana ferè & similia cum illo tormenta perpessus, post infinitas fidei confessiones, post diurnas vinculorum afflictationes, post latam à præside sententiam, qua ad metalla in Palæstina erat damnatus, post vitæ rationem quum pallio vestitus, more Philosophi (etenim plus politioris eruditionis, plusque cognitionis in Philosophia fuerat quàm frater adeptus) sanctissime traduxerat, tandem cum iudicem in vrbe Alexandria sententiam de Christianis pronuntiantem videret, & plus æquo in eos furentem (quippe viros interdum graues & modestos variis ignominia notis affecit, interdum & mulieres

mulieres summæ continentiæ, & virgines quæ sua sponte dei cultui se consecrauerant, ad turpem ipsarum contumeliam lenonibus tradidit) idem cum fratre aggressus est: & quoniam illa facinora intoleranda ei videbantur, fideti & erecta animi magnitudine accedens ad iudicem, turpitudinis & ignominia, quam cum verbis, tum rebus ipsis præstitisset, eum coram coarguit: vnde variis tormentorum cruciatibus diuexatus, (quæ quidem constanter & sedate admodum pertulit) ad extremum fuit in mare proiectus, & eundem cum fratre exitum consecutus. Sed de Aedesio hæc tenus. Atque ista vt dixi non longo tempore post hoc modo gesta fuerunt.

De Agapio martyre. CAP. XVI.

Quarto anno persecutionis in nos grassantis, ad duodecimum Cal. Decembris, hoc est, vigesimo die mensis qui Dius vocatur, die veneris, in eadem vrbe Cæsarea, tale facinus, dignum reuera, quod literarum monumentis commendetur, ipso tyranno Maximino præsentate (qui eodem die qui natalis suus dies erat, spectacula populo magno cum apparatu ac sumptu edebat) patrarum fuit. Et quum consuetudo inueterarat, vt varia spectacula, si etiam vnquam alias, præsentibus ipsis imperatoribus, summa cum magnificentia ac splendore, proponerentur spectatoribus, ad eorum animos oblectandos, eaque nouis ac peregrinis formis præter communem & vsitatum morem variarentur, sic vt interdum animalia ex India, aut Aethiopia, aut aliunde acta in amphitheatrum introducerentur, interdum viri Mimicis corporis gestibus permira animorum oblectamenta spectantibus ostenderent, ob eam causam cum iam imperator ipse ludos faceret, eximium quoddam spectaculum, & quod multum haberet admirationis, in magnifico eorum apparatu omnino elucere oportebat. Quodnam igitur erat istud quidem? Martyr & testis nostræ in Christo religionis adducitur in medium, strenue pro sola & vera pietate decerturus, Agapius nomine: quem vnâ cum Thecla sociatum bestiisque traditum ad deuorandum paulo ante demonstrauimus. Iste aliàs è custodia eductus, simulque cum maleficiis

Z leficiis

EVSEBII HISTORIAE

Matt. 16.
 Iesicis ad spectacula populo edenda coniunctus, cum palam egregie suas partes in stadio egisset, idque ter ac saepius, propterea quod iudex post minas illi variis temporibus oppositas, siue illum commiseratus, siue spe propositi & sententiae eius commutandae inductus, ad alia semper noua certamina distulerat, tandem praesente ipso imperatore, denuo producit, velut opportunè & commode in illud tempus reseruatus: vt hoc di-
 tum salutare, quod dominus discipulis suis diuina praescientia praedixisset (nimirum quod coram regibus adducerentur propter testimonium eius) vere in eo compleretur. Primum igitur in medium stadium, cum quodam malefico & scelesto homine, quem caedis domini sui reum fuisse ferunt, vnà rapitur. Deinde hic domini sui interfector, qui bestiis obici debuisset, misericordia & clementia imperatoris, prope ad similitudinem Barrabae latronis, quem seruatoris loco Iudaei mortis periculo eripiebant, nece liberatus est: & propterea strepitu & acclamationibus totum ideo personabat theatrum, quod homicida imperatoris beneficentia non solum seruatus esset, verum etiam honore & libertate donatus. Caterum hic verae & diuinae pietatis athleta, primum à tyranno accersitur: deinde inficiationem suae voluntatis & instituti rogatus est: promittitur ei libertas: at ille magna voce palam testatur, non turpis & nefarii criminis causa, sed pietatis in deum omnium rerum opificem, libenter, & cum voluptate omnia supplicia, quaecunque sibi imponerentur, se pacato & tranquillo animo subiturum. Atque hoc elocutus, dicto citius, factum exequitur: & vno in illum dimisso, ex aduerso veluti curriculo factus obuiam, seipsum libentissime verendum dat. Post adhuc superstes spiritum ducens, in carcerem mittitur. Vbi vno die in vita commoratus, postridie lapidibus ad pedes eius appensis, in medium mare demergitur. Tale Agapii martyrium fuisse constat.

*De Theodosia virgine, & Dominio & Auxentio
martyribus, & Urbani ducis morte.*

CAP. XVII.

IAm vero cum persecutio esset ad quintum annum continuata, secundo die mensis Zanthici, id est ad quartum Non. Aprilis, in ipso die dominico, & ipso festo resurrectionis servatoris nostri, Theodosia rursus virgo Tyri puella fidelis & modesta, non annos decem & octo omnino adhuc nata, vinctis quibusdam Cæsareæ qui regnum Christi constanter confitebantur, ante tribunal confidentibus accedit, cum benigne salutatur, tum sicut verisimile est, eos obsecratur ut cum essent apud dominum, illius recordarentur. Quo factitato, eam tanquam nefas quoddam, & impium facinus aggressam, satellites abripiunt, deducuntq; ad præsidem. Extemplo vero iste, quasi mente captus, & animi furore maxime efferratus, grauib; & horrendis tormētis, latera, mammaeque ad interiora vsq; ossa dilaniat: quam adhuc ægre spirantem, illam quidem, hilari tamen vultu & læto omnia cruciamenta proferentem, in rapidos maris fluctus proici iubet, deinde ab illa ad reliquos Christi confessores digressus, omnes ad æris metalla, quæ erant in Phæno Palæstinæ condemnat. Post illa, quinto die mensis dii, hoc est apud Romanos. Non. Nouembris, in eadem ciuitate Siluanus (qui dum adhuc præbyter erat, dominum fuerat ingenue confessus, quiq; paulo post episcopatus dignitatem adeptus martyrio è vita migravit) & quidam alij confessores, egregiam in pietatis defensione constantiam declarantes, eorundem metallorū laboribus idem præses adiudicauit: qui primum illis pedū flexus & commissuras ferreis instrumentis igne candentibus debilitari præceperat, deinde eos ad illud supplicium amandauit. Simul atque vero istam contra hosce pronuntiauerat sententiã, Dominū, virū cum ob infinitas fidei Christianæ confessiones eximie nobilitatū, tum ob magnificam & egregiam in libere de religione loquēdo alacritatem apud Palæstinos omnes, cum primis illustrē incēditū supplicio addicit. Post cuius condemnationē, idē iudex,

EVSEBII HISTORIAE

disertus improbitatis excogitator, & callidorum contra Christi doctrinam conatum inuentor, supplicia quædam nunquam antea audita contra pios repperit. Tres illorum ad singulare pugillatus certamen sententia designat. Auxentium item virum grauem & pium, sanctumque senem, bestiis tradit discerpendum. Alios autem qui iam ad robustam & virilem ætatem peruenerant, excectis testiculis, primum eunuchos facit: deinde ad eadem metalla condemnat. Alios rursus acerbis cruciamentis diuexans, carcere coercet & vinculis. Inter quos erat Pamphilus omnium necessariorum meorum mihi maxime desyderatus, vir ex omnibus martyribus nostri temporis, propter cuiusque generis virtutem facile præstantissimus. Huius in dicendi facultate & philosophorû disciplinis, Urbanus primû periculû fecit: deinde impulit ad sacrificandû: quem ut penitus renuentem, & minas pro nihilo putantem vidit, ad extremum bile & furore commotus, asperioribus tormētis illû cruciari mandat. Quare immanissimus ille & maxime crudelis præses, continua acutarum nouâcularum incisione martyris latera acerbe pungente, iam fere fatiatus, & tandem pudore suffusus, in carcerem, vbi reliqui confessores erât, concludi iussit. Verum qualem mercedê Urbanus ob tantâ sæuitiam & crudelitatem, qua tantopere in sanctos dei & Christi martyres insultauit, ex iusta dei vltione & vindicta post mortem habiturus esset, ex suppliciis illi in hac vita inflictis, quæ erant tanquam futurorum promeria, facile licebat animaduertere. Nam non longo tempore post facinora, quæ in Pamphilum nefariè consciuerat, diuina vltio dum adhuc præfecturam gerebat, eum ex inopinato adorta est, ad hunc modum. Qui iam dudum in sublimi & excelso sedens folio, iudicia dabat, qui satellitio militari stipatus, qui vniuersæ Palæstinorum gentis præfectus, qui conuictor tyranni, tanquam ei intimus, qui eiusdem mensæ cum illo particeps erat, vindicta dei, vna nocte non solum fuit tantis dignitatis ornamentis orbatus, ignominia & dedecori corâ illorum oculis, qui eum ut principem admirati fuissent, expositus, timidus, & ignauus factus, adeo ut voces muliebres

liebres

liebres turpiter funderet, & abiecto animo vniuersæ genti, cui præfuerat supplicaret: verum etiam Maximino, de cuius gratia antea insolens & superbus arroganter se ex tulerat (quippe eum egregie præter cæteros ob facinorâ in nos crudeliter edita amplexabatur) duro & crudeli iudice vsus est, adeo vt post turpem ignominiam, quam pro sceleribus, quorum erat conuictus, subibat, sententia ab eo pronuntiata morti addiceretur. Cæterum hoc à nobis extra propositum dictum sit. Atque erit tempus magis idoneum, cum & vitæ exitus aliorum impiorum, qui maxime contra nos dimicant, & ipsius Maximini cum suis, nostra ad otium plenius complectetur oratio.

De confessoribus quibusdam, & duabus mulieribus virginibus, & Paulo, martyribus.

CAP. XVIII.

AD annum sextum persecutionis, cum tēpestas eius contra nos vehemēter ingrueret, forte in loco quodam Thebaidis, Porphyrite appellato, qui iam antea ex vena lapidis Porphyrite, quæ ibi nascitur, nomen duxerat, ingens turba veræ in deum pietatis confessorum versabatur: ex quibus centum viri cum mulieribus & tenellis admodum liberis (tres solum ab eo numero aberant) ad præsidem Palæstinæ Firmilianum scilicet, qui iam locum Urbani in præfectura obtinuerat, mittebantur. Quibus cum deum omnium rerū procreatorē & Christū confessi fuissent, præcepit, idq; de sententia imperatoris, nō modo sinistrorū pedū cōmissuras cū ipsis neruis ignito ferro præcidi, sed etiā oculos dextros primū scis, cum ipsis pupillis & membranis, quibus integebantur, effodi, deinde cauteriis candentibus omnino ad ipsas intimas fibras, & quasi radices labefactari, ac postea eos ipsos ad metallorum venas, quæ erant in prouincia, quo graui ærumna & afflictatione torquerentur, ablegat. Neque satis erat istos solum eiusmodi tormenta perpetientes oculis vidisse, sed etiam è Palæstinis, quos paulo ante diximus, ad singularia pugillatus

Z 3

gillatus

EVSEBII HISTORIAE

gillatus certamina ineunda condemnatos, coram conspi-
 cari voluit: idq; cum fuissent neq; cibariis ex penâ regio
 sustentati, neq; essent in vilo exercitationis genere, quod
 ad pugillatû pertinebat, aliquando versati. Iam vero nō
 procuratorib⁹ imperatoris solû istud declararût, sed co-
 ram ipso etiâ imperatore Maximino ea de re cōparentes
 celsissimâ in Christo confitendo cōstantiam, tum famis
 tolerâtia, tum verberum perpessione cōmonstrarunt, &
 similia torméta cū his quos modo posuimus, cumq; aliis
 confessoribus ex ipsâ Casarea ad ipsorû numerum adie-
 ctis sustinuerunt. Post istos autē alij è vestigio, propterea
 quod homines, quò sacrarû literarû lectioni interessent
 in vnum cōegerant, in vrbe Gaza capti fuerunt, quorum
 alij eisdem cum iis tum oculorû tum pedum vexationes
 subierunt: Alij tormentis in vtrûq; latus inflictis, multo
 grauiores cruciatus subierût. Inter quos vna quâdâ cor-
 pore mulier, animi autē magnitudine plane vir, cum stu-
 pri minas ferre non posset, & tale verbû esset contra ty-
 rannum locuta: nempe rectionem reip. iudicibus admo-
 dum crudelibus ab eo commissam, primû verberibus cæ-
 ditur: deinde sublimis in ligno erecto suspensâ, acerbos
 laterû cruciatus perfert, vbi autem, qui ad eam rem erant
 designati, ex iudicis mandato acria acerbaq; cruciaméta
 illi incusserant, alia mulier, quæ multo maiorem laudem,
 quàm illi (quos græci μάχιδας vocant, hoc est pugiles,
 qui ob alacrem & erectum in dimicando animum pleno
 ore prædicantur) promerita est, quæq; pari ratione cum
 illa priore, virginitatis scopum sibi proposuerat, corpo-
 ris forma vt videbatur, admodum sordida, vultu quidē
 abiectâ, sed animo reuera robusta, & maiore animi celsita-
 tem quàm corporis species præ se ferebat, in pectore cō-
 plexa, cū pati non posset, vt tam dire, crudelitèr, & inhu-
 mane cū illa ageretur, è media turba sic in iudicem vocif-
 feratur: quousq; tam acerbe sororem meam torques? Ille
 iracundia magis exæstuans, statim illam hominem com-
 præhendi iubet: ea deinde rapitur in medium. Quâ qui-
 dem libere venerandum seruatoris nomen profitentem
 primum verbis ad immolandû sollicitauit. Verum vbi re-
 sistebat, vi ad altare trahitur. Illa tû suæ indoli germana
 & con-

& cōuenientia obiens, & nihil de priore animi alacritate remittens, pede intrepido & fidenti, in arā ruit, in eamq; insultat calcibus, & quæ in ea erant vnà cū lignorū strue penitus euertit. Vnde iudex tanquā truculenta bellua, bile & rabie excandescens, primū tot tormenta in eius latera impingi præcepit, quot nemini vnquā antea. & præ furore propemodū crudis eius carnibus se saturare gessit. Postea autē quā eius insania satietatem ceperat, ambas simul iunctas, hanc nempe cum ea, quam sororem ante appellauerat, flammaram incendio absumendas addixit. Quarū priorem ex regione Gazensium orta: alteram nomine Valentinam ex Cæsariensiu genere fuisse prognatam, multisq; cognitam intelligēdum est. Martyriū porro, quod statim post, beatissimus Paulus perpetiebatur; quo pacto pro dignitate explicari queo? Eodem enim tēporis articulo cum illis mulieribus vna sententia morti adiudicatus, ad extremū à lictore cum eius caput esset iam amputaturus, paululum temporis sibi concedi postulauit. Quo impetrato, primū clara & canora voce a Deo exposcit, vt Christiani tribules sui eius gratia recōciliarentur: & vt quā citissime illis daretur libertas, supplex obtestatur: deinde pro Iudæis, vt ad Deū per Christum se totos transferrent, orat: deinceps paululū in oratione progressus, eadem pro Samaritanis efflagitat: tum vt omnes gentiles qui in errore & cæca Dei ignoratione versabantur, ad diuinam cognitionem venirent, & veram pietatem reciperent deprecatur. Neque vniuersam multitudinem, quæ vndique circumstebant omnino tanquam neglectam, & precatōne sua destitutam reliquit: post quos vniuersos, (o immensam & ineffabilem animi lenitatem & tolerantiam) etiam pro iudice, qui illum morti addixerat, proque imperatoribus, pro carnifice item, qui mox esset caput eius ceruicibus abscisurus, eo ipso (carnificem dico) & omnibus qui aderant, audientibus Dei omnipotentis numen implorauit, ne illis hoc facinus in ipsum admissum peccati loco numeraret. Hæc & eiusmodi alta voce præcatus tanquam qui immerito plane neci addictus fuisset, omnes propemodum ad misericordiam & lachrymas attraxit: ipse ta-

EVSEBII HISTORIAE

men seipsum ad mortem adornans, & ceruicem nudam gladio ferendam libenter submittens, diuino & beato martyrio, vigesimo quinto die mensis Panem, hoc est ad octauū Calend. Augusti, eximie decoratus fuit. Atq; istæ istorū martyrum res gestæ talē habuere exitum.

De tribus aliis viris, & muliere vna, martyribus, & de re quadam admiranda.

CAP. XIX.

TEmpore porro non longo progrediente, rursus ex Aegyptiorum regione centum & triginta insignes fidei & confessionis in Christum athletæ ex mandato Maximini in ipsa Aegypto, eosdem oculorum, & pedum cruciatus, cum illis, quos diximus, sustinuerunt: quorum nonnulli ad metalla in Palæstina damnati erant: alij ad metalla in Cilicia relegati. Simul atque vero tam multis tamque egregiis magnanimorum Christi martyrum facinoribus, ingens persecutionis æstus deferbuerat, & velut sacro illorum cruore flamma eius extincta erat, & iam remissio ac libertas cōfessoribus ex Thebaidæ, qui metallorum in eo loco nascentium laboribus oppressi, fuerant concessa, & nos Christiani tanquam pulchra quadam pacis serenitate nos ipsos eramus iam recreaturi, deintegro certe ipse, penes quem persequendi potestas erat, nescio quo pacto, quæ uel animi cōmōtione rursus cōtra Christianos mire inflammaretur. Proinde ex improviso Maximini literæ, cōtra nos ubiq; in singulas prouincias, missæ fuerunt: unde præsides & summus dux totius imperatoris exercitus, tabulis epistolis, & publicis edictis, ciuitatis cuiusq; curatoribus vna cum præfectis præsidiorū & tabellariis præcipiunt, ut edictum imperatoris ad exitum perducere maturent: mandauitq; ut cum omni celeritate, idolorū delubra, quæ ceciderant, reficerent, & denuo ædificarent: quin etiam efficerent, ut omnes omnino viros cum vxoribus, famulis, & pueris, matrum vbera adhuc sugentibus, immolarēt, libamina afferrent, & ipsa sacrificia re ipsa degustarent, & cibaria in foro venalia impuris sacrificiorum libationibus contaminarentur: & pro foribus deniq; balnearum
qui

quidam quasi custodes constituerentur, uti qui in his essent sordibus abluti, post, scelestis & nefarius illis victimis se inquinarent. Quibus rebus ad hunc modum confectis, cum nostri de integro (ut verisimile erat) maximis curis & mœrore tenerentur implicati, & gentiles ipsi deintollerabili & nimia horum scelerum absurditate ad modum conquererentur (nam illis ista nimium fastidij, nimiumq; importunitatis complecti visa sunt) & calamitissima tempestas pœsim omnibus impenderet, diuina seruatoris nostri virtus & potentia his athleticis tantam denovo animi iniecit fidentiam, & quasi cœlitus inspirauit, ut cum nemo illos vi impelleret, raperetque ad fidei suæ confessionem, vltro offerrent sese, & omnes eiusmodi terrores ac minas, strenue protererent, & tanquam pedibus profus cœcularent. Idcirco tres ex fidelibus simul vno animorum consensu, contra prælidem immolantem insiliunt, & alta voce tali errore atque amentia desistero hortantur. Nam non alium esse Deum, præter eum, qui omnium rerum effector & architectus est, asserunt. Rogati ergo, quidam essent, Christianos se audacter confitentur. Qua de causa Firmilianus acrius & vehementius concitatus, absq; vlllo alio supplicij genere, capite multandos tradidit. Quorum vnus presbyter erat, nomine Antonius. alter Zebinas vocabatur, ex ciuitate Eleutheriopolis prognatus: tertio Germanus nomen fuit. Decimo tertio die mensis qui Dius dicitur, id est Idibus Nouembris, hæc de istis acta sunt. Eodem die mulier quædam Ennathas nomine, ex vrbe Scythopoli orta, virginittatis quasi coronis pulchre adornata, vnâ cum illis martyribus eò accessit, quæ non vltro se obtulit, ut illi, sed vi tracta fuit & ad iudicem ad ducta. Idcirco post verbera & graues contumeliososque cruciatus, quos iudex ei infligendos curauerat, tribunus quidem, qui illic in proximo magistratum gerebat, appellatus Maxys, homo nō tam nomine, quàm tota vitæ ratione nequam, & ut aliis rebus scelestus & perditus, ita tum corporis viribus supra modum robustus, tum moribus ferus & crudelis, tum apud omnes, qui illum norant, infamia & dedecore notatus, absque auctoritate maioris potestatis, hanc bea-

EVSEBII HISTORIAE

tam virginem aggreditur, eamq; omni vestitu vsque eo exiit, vt corpus a lumbis solum ad pedes contegeretur, reliquum autem nudum existeret. Hanc per vniuersam ciuitatem Cæsaream vndique circumduxit: lorisque per totum forum & publicas plateas tractam non sine quadã animi sui oblectatione verberauit. Quam post tot cruciatus, cum constantissimam animi firmitudinem, pro tribunali, vbi præfectus considerare solebat, in fide tuenda ostendisset iudex, viuam igne cremandam tradidit. Ille igitur immanitate longius progrediens, & rabiem propè belluinam contra pros indies adaugens, adeo extra naturę leges penitus egressus est, vt inanimis sanctorum virorum corporibus sepulturam impudens inuideret: & propterea cadauera sub dio, vt à bestiis dilaniarentur, noctu assidue & interdium seruari præcepit. Itaque non exiguum hominum numerum, multorum dierum spatio, huic immani & barbaro mandato inferuentium, cerne-
re licebat. Quinetiam alij ex specula & loco edito, tanquam operepretium facturi, ne cadauera furriperentur, sedulo obseruabant. Itaque agrestes bestię, canes, & a-
tues carnioræ membra discerpserunt humana, eaq; huc illuc disperferunt: & tota ciuitas vndique visceribus of-
sibusque hominum constrata fuit: adeo vt illis ipsis qui ante fuissent infesto animo in nos affecti, nihil vnquam crudelius, nihil aspectu horribilius videretur: neque tam eorum calamitatem, in quos hæc admissa erant, quàm cū suam ipsorum, tum communis parētis naturæ ignominia deplorabant. Spectaculū enim humanarum carniū, non vno loco deuoratarū, sed vbiq; misere dissectarū (quod omnem dicēdi facultatē, omnemq; tragœdiæ speciē longe superat) propè ciuitatis portas cuiusq; oculis subiectū fuit. Nonnulli autē membra, cadauera integra, & viscerum partes etiam intra portas se vidisse dixerunt. Dum permultis diebus ista gerebantur, tale quoddam miraculum accidit. Cum clara esset serenitas, & aer pulchre splendesceret, totiusq; cæli omnia suo complexu ambiētis summa extaret tranquillitas, derepente columnæ ciuitatis, quę publicos & cōmunes porticus sustēbant, multas veluti lachrymarū guttas quodāmodo ex se profude-
runt,

sūt. Forū item & plateæ, nulla pluuiæ gutta ex aere decedente, nescio vnde, quoue modo, aqua aspersa maduerunt, sic vt illico rumor per omnium ora volitaret, terrâ vtpote rerum id temporis gestarum scelus & impietatem non ferentem, inexplicabili quadam ratione lachrymarum vim ex se funderet; & lapides naturâq; inanimam nefaria ca facinora deslere, quō hominum naturam tam ferream, tam immitem, tamque ab omni affectione vacuam, iusta reprehensione coargueret. Verū nugæ & fabulæ (prope dixerim) hæc quidem oratio posteritati fortasse videbitur: non tamen his, qui eo ipso tempore præsentibus, de rei veritate satis persuasi fuerunt.

De quibusdam confessoribus, & tribus martyribus, & Petro monacho, & Asclepio, martyribus.

CAP. XX.

Decimo quarto die mensis Apellæi proxime insequentis, hoc est ad decimum nonum Calend. Ianuarii, quidam pii viri ex Aegypto profecti (in Ciliciam namque iter susceperant, vt confessores, qui ibi versabantur sua curatione subleuarent Cæsareæ) ab his qui diligenter homines ad portas ciuitatis accedentes perscrutantur, capti sunt. Ex quibus alii eandem cum illis, quibus erant inseruituri, sententiam & condemnationem subierunt: vt oculi nempe & pedes cruciatu illis labefactarentur. Tres autem illorum Ascaloni, vbi capti erant, admirabilem fortitudinis vim in fidei suæ confessione ostendentes, variis martyrii generibus defuncti sunt. Nam vnus illorum in rogam coniectus fuit: cui nomen Ares: reliquis duobus qui Promus & Elias appellabantur, capita amputata. vndecimo die mensis Audinæ, id est, ad tertium Idus Ianuarii, Petrus, qui & Apselanus dicebatur ἄσκητις id est religiosus vel monachus, vitam solitariam & meditationi deditâ secutus, ex pago Anea in finibus Eleutheropolis sita prognatus, cum iudex & qui ei aderant in consilio, sæpissime eū orassent, vt sui ipsius miseretur, suæque adolescentiæ & ætati florenti parceret, eorum hortationibus penitus neglectis, & spē quā in Deo omnipotenti collocasset cū aliis rebus
omni-

*Probus
al.*

EVSEBII HISTORIAE

omnibus tum vitæ ipsius longe prælata, Cæsareæ per ignem, velut aurum purissimum, fidem in Christum Dei generoso & excelso animo accurate probavit. Cū isto vnâ Aesculapius episcopus, vt videbatur, erroris Marcionitarū, zelo pietatis, vt ille putabat, sed non illius quæ est secundum scientiam, vno & eodem rogo combustus, exiit è vita. Verūm hæc hæctenus.

*De duodecim martyribus, qui cum Pamphilo
martyrium oppetiuerunt.*

CAP. XXI.

TEmpus iam eo me vocat, vt illustre quasi theatrum martyrum, qui cum Pamphilo (cuius nomen mihi semper optatissimum fuit) mortem oppetiuerunt, in hoc sermone ante oculos cuiusq; ad intuumdum proponam. Duodecim quidem erant, & non modo quodam prophetico dono, aut potius Apostolico, sed apostolorum etiam numero dignati: quorum Coryphæus & princeps solus Pamphilus, presbyterii dignitate Cæsareæ ornatus, extitit: virtute vitæ cursu omni virtutum genere eximus: abiectioe & contemptu seculi insignis: facultatum in pauperes largitione magnificus: spei, quæ in caducis mundi rebus desigi solet, despicientia mirus: ratione viuendi & cōsuetudine vero philosopho digna singularis: quinetiam ardenti diuini eloquiū & sacrarum literarum studio, præter cæteros nostræ memoriæ homines egregius: attentissima & prope inexhausta in eas res industria & assiduitate, quas apud animum proposuerat, præstabilis, & in cognatis, omnibusq; propinquis iuuandis perliberalis: Cætera virtutis eius officia, & rectè facta, quoniam longiore explicatione eguerunt, in separato & proprio volumine, de eius vita perscripto, inque tres libros dispertito, iam pridem pluribus verbis tradidimus. Eos ergo, qui acri illius vitæ & virtutum in ea elucetium plenius cognoscendarum cupiditate incenduntur, eò amandamus: nos autem illis solum in præsentia insistemus, quæ ad martyres cum eo ad supplicium adductos pertinent. Secundus post Pamphilum
in cer-

in certamen descendit, veneranda canitie honoratus Valens, Aelii ciuitatis diaconus, ipso aspectu senex grauis-
 simus, diuinarum scripturarum (si quisquam alius) in primis peritus. Nam tantam illarum memoriam in pectus eius incluserat, vt si quando aliquem locum citare vellet, perinde expedite illud poterat absque scripto efficere, atque ex scripto legere. Tertius Paulus pietate maxime inflammatus, & spiritu non minus feruidus, ex ciuitate Iamnitaram, in qua fama percelebris fuit, pregnatus: qui ante martyrium, cauteriorum exustiones perpeffus, egregium certamen pro fidei confessione confecit. His in carcere, toto biennii spatio, commorantibus, fit martyrii dilatio. Interea fratrum Aegyptiorum, qui cum illis vna martyrium subierunt, accessio facta est. Isti Aegyptij simulatque confessores illos, qui erant ex Cilicia, ad metalla vsque, quae ibi erant produxerant, domum redierunt. Qui similiter apud ipsos portarum Casareae introitus a custodibus, (Barbari autem isti erant & moribus agrestes) quinam essent, & vnde venissent, interrogati, cum veritatem occultare non possent, tanquam malefici in ipso facinore manifesto prehensi, tenebantur. Quinque erant numero, qui quidem ad tyrannum deducti, & coram illo libere fidem confessi, statim in carcerem contruduntur. Postridie, hoc erat decimo sexto die mensis Peritii, id est secundum Romanos, ad decimum quartum Calend. Martii, hi pariter cum Pamphilo, & reliquis eius sociis, quos supra posuimus, ex mandato ad iudicem producuntur. Iste primus inexpugnabilis Aegyptiorum constantiae & firmitatis animi diuersis cuiusque modi tormentorum formis, nouis peregrinarum, & variarum machinarum inuentis periculum facit. Et simulac illum, qui inter eos omnes principatum tenuit, his certaminibus exercuerat, quisnam esset, primum sciscitatus est. Deinde vbi pro proprio nomine, prophetae cuiusdam nomen ab eo acceperat (hoc enim ab illis factitatum erat, quod pro nominibus idolorum, quae erant forte a parentibus ipsis imposta, noua nomina, facta mutatione, ipsi sibi asciuisent: Eliae enim, Hieremie, Hesaiæ, Samuelis, & Danielis nomine seipfos nuncupasse, & germanum

manum

EVSEBII HISTORIAE

Gal. 4.
Hebr. 12.

manum ac verum Dei Israel, qui Iudæis erat in occulto, non solum rebus ipsis sed nominibus proprie & significanter explicatis, commonstrasse audire potuisses) vbi inquam tale nomen à martyre acceperat Firmilianus, non in verbi vim & significationem animum omnino intendens, secundo loco eum interrogavit, quæ illius patria esset. Ille nomē priori apte respōdens effert: Hierusalem suā patriam esse ait: eam certe intelligens, de qua apud Paulum dicitur: quæ sursum est Hierusalem, libera est, quæ est mater omnium nostrū. Item alio loco, accessistis ad montē Sion, & ciuitatem Dei viuentis, Hierusalē celestem. Is quidem hanc planē intellexit. Sed Firmilianus cogitatione sua humi abiecta, quæ tandem ciuitas illa esset, & vbi terrarum sita, accurate & curiose disquiri: vnde cruciatu illum affligit, vt verum fateretur. Hic manibus à tergo vinctis obrortisq; & pedibus machinamentis peregrinis inuisitatisq; diuulsis excruciatu, verum se dixisse cōstanter asseperat. Deinceps iudice rursus sæpe querēte quisnam esset, & quo loco ciuitas illa quam dicebat, locaretur, eam affirmat piorum solum patriā esse: neque alios præter hos solos, illius fore participes: illamque ad orientem, vbi sol primo mane suos radios fundere incipit, positam. Atque in istis denuo proferendis seorsum apud animū suum ita diuinitus philosophatus est, vt eorum, qui illum vndiq; tormentis diuexabāt, nullā prorsus rationem duceret: sed tāquam carnis, corporisq; expers, ne minimū quidē videretur doloris sensum percepisse. Iudex animo hæsitās intra se tumultuari cœpit: putabatq; Christianos eam ciuitatē de qua martyr locutus fuisset, infestā omnino & inimicā Romanis effecturos. Multum igitur de ea re scrutari, & vbinā tandem illa regio, quæ in orientē ferebatur, existeret, admodum cōquirere. Postq̄ autem adulescētulum verberibus sæpius dilaniatum, & tormentis cuiusq; generis discruciatū, firma & immutabili mentis cōstantia illis, quæ antè dixerat, adhærescere animaduertit, ad extremum mortis sententiam, vt securi percuteretur, contra eum protulit. Talem igitur is velut vitæ suæ peregit fabulam. Cæteri eius socij paribus certaminibus à iudice exagirati, pari

mortis

mortis genere è vita cefferunt, Postea demum Firmilianus quanquam prope defatigatus erat, & frustra viros illos supplicio affici cernebat, sua tamen cupiditate eorù morte exaturata, ad Pamphilum & eius socios se cõtulit. Et quum satis expertus erat, quam inflexibilè in fide tenenda constantiam etiam iã antea in tormentis ostendissent, iterù interrogat, vtrum deinceps modo illi morè gererèt. Atq; cù à singulis eorù definitù & postremù responsum de fidei confessione, quæ est martyrii propria excepisset, similem cum prioribus pœnã & supplicium illis irrogat. Quibus ad exitum perductis adolescentulus quidam ex famulis Pamphili, qui ita erat excultus instructusq; vt dignus ingenua talis & tãti viri educatione & disciplina merito videretur, simulatq; iudicis sententiã cõtra dominù suù pronuntiatam intellexit, è media hominum multitudine exclamat, & vti illius aliorùq; sociorù corpora cum è vita decederent terræ mādarentur postulat. Iudex verò nō hominis, sed belluę, aut si quid sit bellua immanius, naturam secutus, ne adulescentulo quidem ætatis causa quicq; veniæ tribuit, sed vt primù eum rogarat, esset ne Christianus, ipseq; se esse responderat, iracundiæ æstu intumescens, quasi telo saucijs, tortoribus in mandatis dedit, vt omnes suas vires & impetus cõtra eù exercerent. Postq; vero, cum immolare ei iussum esset recusantem videbat, nō vt hominem carne circumdatum, sed vt statuam ex lapidibus, aut ligno, aut alia re quapiam cõfectam, ad ossa vsque, & intimos viscerum recessus, acriter & absq; vlla remissione deradi dilacerariq; præcepit. Quo supplicii genere diu sustentato, iudex cum illum nec vocem emittere, nec sensum doloris vllum præ se ferre vidit, idq; cum parum abesset, quin illius corpus esset omnino inanimatù, & tormentis penè contritù exhaustùq;, se frustra illù torquere pspexit, tamè aïo duro, ferreo, & oïs humanitatis expte perstãs, cõfestim igni pedetètım exardescēte, & remisso cõburi decernit. Hic igitur adolescentul⁹ postremus, ante Pãphili mortē, qui erat dñs eius secundù carnē in certamē ingressus, ante illù è corporis viculis solut⁹ fuit, ppte rea q; qui crāt in alijs trucidãdis occupati, tardare videbantur.

bantur.

EVSEBII HISTORIAE

bantur. Licuerat ergo Porphyrium videre (hoc namque adulescentulo nomen erat) iam in omni certaminum genere exercitatum, incredibili studio & ardore, more hominis pro augusta & sacra victoria decertantis, incensum, corpore puluere quidem consperso sordidatum, sed desoro oris habitu eximitum erecta & generosa animi elatione post tantos cruciatus ad mortem gradientem, diuino spiritu reuera completum habitu philosopho, quo vti solebat, hoc est, indumento ad modum pallii humeros solum obtigentis vestitum, familiaribus suis, quid illos eius causa facere vellet, modesto & tranquillo animo praecipientem, nutuque significantem, & cum iam ad palum esset alligatus, vultum splendidum & hilarem seruauentem: quinetiam cum rogos longo interuallo ab illo tanquam in ambitum orbemque exardesceret, hinc, illincque flammam ore ad se arripientem, & post haec verba quae iam flammaram incendio primum corpus attingente clara voce profundebat, nempe Iesum filium Dei eius adiutorem fore, constantissimè cum silentio omnes cruciatus ad extremum usque spiritum toleratem. Tale Porphyrii in martyrio certamen fuisse constat. Cuius vitae exitum Seleucus confessor quidam ex militum numero, Pamphilo nuntiauit: qui vt par erat eiusmodi nuntii ministro, quam primum fuit eadem sorte cum illis martyribus dignatus. Nam mox vt mortem nuntiauerat Porphyrii, & vnum ex Martyribus osculo sancto salutaauerat, cum milites quidam comprehedentes, ad praesidem deducunt. Iste tanquam eius protectionem maturans, quo Porphyrio comes itineris ad caelum suscepti adiungeretur, extemplo capitis supplicio multari iubet, hic in Cappadocia natus praedelecto iuuenù globo, qui in exercitu Romano militabant, praequae illis, qui erant apud Romanos in amplis dignitatum gradibus locati, non exiguum honorem adeptus est. Aetate enim florente, robore, proceritate, firmitateque corporis plurimum omnibus militibus antecelluit: adeo vt aspectus eius celebris, & omnium sermone praedicatus existeret, tota corporis forma ac specie tum ob magnitudinem, tum ob pulchritudinem & aptam membrorum compositionem

fritionem admirabilis. Qui in ipso persecutionis initio, plagarum perpeffione in certaminibus pro fidei confessione susceptis admodum enituit: & ubi militiæ munere, quo fungebatur spoliatus fuit, eorum qui ἀσκηταί, id est pietatis cultores vel monachi, qui dies noctesque diuinis meditationibus se exercent, æmulum se & imitatorum effecit: orphanis desertis, viduis omni ope destitutis, hominibus inopia & corporis infirmitate afflictatis, instar patris alicuius indulgentis & curatoris, benigne prospexit, & opitulatus est. Vnde merito quidem, cum Deus ab eiusmodi pietatis officiis plus capit oblectationis, quam à victimis fumo redundantibus & sanguine aspersis, ad insigne & eximium martyrij decus per eius gratiam accersitus fuit. Hic decimus athleta inter eos, quos supra ostendimus, vno eodemque die mortem oppetiit: quo certe (vt apparet) maxima quasi cœli porta Pamphili martyrio decora illa quidem & congruens patefacta, tum illi, tum aliis qui cum eo erant, in regnum cœlorum editum dedit perfacilem. Theodulus item grauis quidem & religiosus senex, vnus ex præfecti Firmiliani familia, & ab eo plusquam cæteri omnes domestici honoratus, partim proeclatæ ætatis causa, (proauus enim erat, id est tertie progeniei pater) partim propter beneuolentiam & fidelem animum quam erga ipsum semper seruauerat, iisdem vestigiis cum Seleuco insistens, & facinus illius facinori haudquaquam dissimile admittens, ad Firmilianum Dominum suum deductus fuit: eique maiorem bilinguam, quam superiores commouens, tandem crucis afflictationi addictus, idemque martyrij genus quod seruator olim, lubens perpeffus est. Deinceps quoniam vnus adhuc restabat, qui inter martyres commemoratos locum duodecimum expleret, idcirco Iulianus eum expleturus accessit. Qui peregre iam eo aduenrans, & locum adhuc minime ingressus, simulac inter vias de eorum morte intellexerat, extemplo ad insigne martyrum spectaculum recta se contulit: Atque vt humi posita sanctorum vidit corpora, solido expletus gaudio, sigillatim ea complexus salutauit. Quod dum faciebat, lictores & cædis ministri, eum prehensum ad Firmilianum ducunt. Qui

A a ea quæ

EVSEBII HISTORIAE

ea quæ sibi erant suæque crudeli naturæ consentanea, executus, lento & remisso igni cum cremandum tradit, Iulianus ergo præ lætitia exultare, valdeque gestire, atque clara voce gratias agens Domino, qui eum talibus præmiis, tamque insigni splendore afficere dignatus fuerat, præclara martyrum corona donatur. Erat hic quidem Cappadocum genere secundum carnem oriundus, moribus & vita sanctissimus, fidelissimus, & maxime ingenuus: & cum in aliis rebus spectatus, tum diuino ipsius sancti spiritus afflatu imbutus. Talis erat cetera eorum, qui per Dei gratiam in martyrij societatem cum beato Pamphilo asciti fuerunt. Sacra autem & sancta reuera istorum corpora ex impij præsidis mandato quatuor diebus, totidemque noctibus, vt à bestiis, auiibusque carniuoris deuorarentur, sub dño seruabantur. Verum vbi tanquam miraculo quodam, nulla neque bestia, neque volucris, neque canis, ad ea accedebat, rursus per diuinæ prouidentie dispensationem integra illæsaque inde ablata fuerunt. Et exequiarum iustis potita sepulturæ, vt moris est, honorifice commendantur. Porro dum sæuitia aduersum istos vsurpata, in omnium ore & sermone versabatur, Adrianus, & Eubulus ex regione, quæ Manganæa dicitur, ad reliquos confessores Cæsaream versus accedentes, ad portas vrbs causam sui itineris eò suscepti rogantur. Deinde rei veritatem ingenuè confessi, deducuntur ad Firmilianum. Ille, nulla dilatione aut mora interposita, post multa tormenta, quæ in eorum latera impegerat, bestiis dilaniandos condemnat. Biduo autem interiecto, Adrianus quinto die mensis Dystri, hoc est ad tertium Non. Martij die festo quo natalitia fortunæ Cæsariensium (sic enim putabatur) celebrari solent, leoni primum ad discerpendum proiectus fuit: deinde gladio iugulatus, obiit mortem. Eubulus autem perendino die ad meridiem ipsis Nonis Martij, qui est septimus dies Dystri, cum iudex illum admodum rogaret, vt hostias immolaret idolis quò libertate eorum legibus decreta potiretur, gloriosam mortem pro pietate susceptam huic vitæ breui & caducæ præposuit: & post bestiarum laniatus, gladio, vt so-

vt socius ante illum trucidatus fuit: omniaque martyrum certamina Cæsareæ confecta suo sanguine postremus obfignauit. Cæterum operepretium est hoc loco commemorare, quo pacto tandem non idque longo tempore post, cælestis & diuina prouidentia eos impios magistratus cum ipsis tyrannis vltia sit. Nam Firmilianus, qui tam petulanter & contumeliose in Christi martyres debacchatus fuisset, cum aliis eiusdem sceleris participibus extrema supplicia subiens, gladio finem viuendi fecit: Atque hæc sunt martyria, quæ Cæsareæ toto persecutionis tempore gesta sunt.

De diuina contra ecclesiarum præfides vltione, merito infligta, & Syluano & Ioanne martyribus. CAP. XXII.

Quæ vero interea temporis contra ecclesiarum præfides transigi contigerit, & quo pacto diuina iustitia peccati vltrix pro pastoribus ouium & gregis Christi rationalis, cui parum prudenter & considerate præfuisse, non modo Camelorum (quod est animalis genus cum rationis expers, tum maxime natura incuruatum & deforme) curatores effecerit, illique quasi debito illis supplicio addixerit, Verum etiam equis imperatorum alendis destinari, quot etiam contumelias, quot ignominia notas, quot tormentorum genera ab imperatorum procuratoribus & magistratibus per varia tempora pro sacris ecclesiarum vasis & thesauro ipsi subierunt, quanta ambitione honorumque cupiditate multi eorum flagrarint, quam temere & contra leges manus nonnullis imposuerint, quæ inter ipsos fidei confessores Scismata, quæ mala nuper quidam seditiosi contra Ecclesie membra, quæ reliqua erant, dum nouas res vnam post aliam excogitare laborabant, toto pectore, vt dicitur machinati fuerint, inclementerque asperis persecutionis calamitatibus obtriuerint, & mala denique malis exaggerarint, hæc omnia à me prætereunda esse arbitror, præsertim cum ea memoria commendare, sicut in principio

EVSEBII HISTORIAE

huius libri posui, minime nostrarum partium esse putem, quippe qui eorum explicationem admodum evitare & effugere cupiam. Verum si quæ decora sint, quæque verbum Dei commendent, si quæ virtus sit, si quæ laus in ecclesia splenduerit, ista explanare, ista scribere, ista fidelibus auribus inculcare mihi in primis accommodatum arbitratus, præclaris eximiorum martyrum rebus gestis, & pace, quæ postea nobis cælitus elucebat extremam partem huius libri mihi illustrandam censeo. Cum septimus annus persecutionis contra nos intentæ iam prope erat confectus, & res nostræ sensim & quasi tacito gressu ad quandam tranquillitatem securitatemque prolabebantur, & ad octauum annum desectebant, in quo non exigua confessorum multitudo apud metalla in palæstina cogebatur, qui magna iam in ritibus religionis perfungendis utebantur libertate, adeo ut domos in ecclesias exedificarent, præfectus provincie vir sæuus & improbus, qualem scolarum eius in martyres Christi admissa ipsum plane commonstrabant, eò statim profectus, simulatque facta & vitæ institutionem eorum, qui ibi degebant, audiuerat, imperatorem facit per literas certiore, & in iisdem ea, quæ ad eorum famam violendam maxime valere putabat, ad eum perferibit. Vnde qui metallorum venis præerat, eo accessit, & tanquam ex imperatoris mandato confessorum segregavit multitudinem, sicque distribuit, ut deinceps alij Cyprum, alij Libanum incolerent: alios etiam in alia Palæstinæ loca dispersiens, omnes variis laborum molestiis vexari conteri que præcepit: deinde quatuor ex eorum numero eximens, qui principem locum inter eos tenere videbantur, ad magistrum equitum mittit. Quorum duo Peleus, & Nilus appellabantur, Aegyptiorum episcopi: tertius presbyter fuit. His etiam quartus accessit Patermythius, vir propter singulare erga omnes pietatis studium facile clarissimus. Ex quibus magister equitum religionis & fidei in Christum inficiationem ab illis postulat: atque haud compos voti factus, eos ignis incendiit
creman-

cremandos tradit. Alii rursus ex confessoribus, qui aut propter ingrauescentem etatem, aut membra inutilia, aut alias corporis infirmitates erant illo operum ministerio soluti, ibi in locum separatam ad incolendum amandati. Quorum primas tulit Siluanus episcopus Gazæ, qui piû virtutis specimen & egregium exemplar Christianismi omnibus ostendit. Iste à primo die persecutionis (prope dixerim) ad extremum vsque, per totum temporis spatium variis certaminibus pro crebra fidei confessione decursis nobilitatus, ad illum temporis articulum reservabatur, vt omnia certamina martyrum in Palæstina interfectorum postremus quasi sigillo cruoris obsignaret. Cum eo coniuncti erant, ex Aegypto complures: inter quos erat Ioannes, qui memoriæ bonitate facile omnes nostri temporis superavit. Et quâquam antea luminibus orbatus erat, tamen tortores adeo seui, truculenti, crudeles & immanes fuerunt, vt propter egregiam in Christi nomine confitendo constantiam, qua magnopere excellabat, tum ignitis cauteriis eius pedem pari ratione cum aliis prorsus labefactarent, tum pupillam oculi, quæ visum amiserat, candente ferro exureret. Cum autem ob morum probitatem, & piam viuendi ratione, præsertim cum cæcus esset, non est cur quisquam tantopere admiraretur: quando quidê illud non tantum habet admirationis, quantum memoriæ vis, qua quidem integros sacram scripturarum libros, non in tabulis lapideis, vt ait diuus apostolus, neq; in animalium pellibus, membranis, aut charta, quæ vel tineæ conficiunt, vel temporis consumit diurnitas, sed in tabulis reuera cordis carnis, id est, in animo solerti & sincera mentis intelligentia tanquam scriptos habuit: adeo vt quando visum erat, interdum legis, & prophetarum testimonia, sæpe historias, nonnunquam euangelia, aut apostolorum scripta, memoriter ex animi domicilio tanquam ex quodam literarum thesauro proferre potuerit. Ipse equidem fateor, me cû primum hominem in media ecclesiæ multitudine ac frequentia stantem, & quasdam diuinæ scripturæ partes recitantem animaduernerem, penitus obstupuisse. Nam quamdiu vocem illius solum audire licebat, tam diu

2. Cor. 3.

EVSEBII HISTORIAE

aliquem (vti in populi conuentibus in ecclesia mos est) ex scripto legisse putabam: sed vbi quam proxime ad eum accedens, quod factum erat, euidenter conspicabar, & alios omnes integris oculis & apertis vndiq; circumstantes, hunc autem solis mentis luminibus vtentem, & reuera non pauca, velut prophetam proloquentem, & multis partibus eos, quibus corporis sensus sani & valentes erant, superantem, non potui non deum ea de re tum summis laudibus efferre, tum in primis admirari. Et euidenter certe ac firmum argumentum mihi videre videbar, eum reipsa & veritate hominem esse, non qui in externa corporis forma & specie, oculis subiicitur, sed qui in ipso animo & interiore cogitatione residet, qui quidem in isto, licet corpus deformatum mancumq; esset, maiorem tamen interioris suae facultatis virtutem declarauit. Illis autem, quos diximus, in loco seperato commorantibus, & consueti ipsorum vitae instituta in orationibus, in ieiuniis, in reliquis exercitationibus exequentibus, Deus ipse dextram benignam & propitiam porrigens, largitus est, vt per martyrium salutarem vitae exitum consequerentur, Hostis namque & aduersarius noster diabolus, eos quidem, vtpote precibus attentissime ad deum fuis, contra ipsum armatos, non amplius ferre poterat, sed sicuti putabat, molestiam ipsi exhibentes, trucidare & e terra tollere instituit: quippe Deus illi hoc agere molienti potestatem concessit, vt pariter nec ipse ab improbitate, quam dedita opera decreuisset, vlla ex parte arceretur, & hi preclara pro multis suis ac variis certaminibus premia iam tandem acciperent. Ea de causa ex scelestissimi Maximini imperatoris mandato, vno die vndequadraginta martyres capitis poena mulctantur. Ista sunt martyria octo annis integris in Palaestina patrata.

Deiis quae gesta sunt in Phrigia.

CAP. XXIII.

Verum quid opus est multa persequi, & nouas priorum martyrum per orbem dimicationes, alteras alteris succedentes proferre, eorum quidem maxime qui
 non

non communi lege, sed more & instituto bellico essent vndique obsessi oppugnatiq̄ue. Iamdudum enim vrbs Christianorum, quæ est in Phrygia, vaiuersa, vnâ cum populo eiusdê, ab hominibus armatis obsidione vndiq̄ cincta fuit, & dum viri simul cum teneris liberis, & vxoribus, Christi dei omnipotentis opem inuocabant, facibus ardentibus iniectis incensa, propterea quod tum vniuersus populus, qui ciuitatem incoluit, tum curator eiusdem, & præfectus præsidij, pariter cum magistratibus & priuatis omnibus, se Christianos ingenue confitebatur, neque infidelibus, qui eos idolis hostias offerre mādauerant, vlla ex parte volebant obtemperare. Quidam autem Adaucus nomine, dignitate à Romanis ornatus, genere apud Italos clarus, omni fere honorum gradu ab imperatoribus potitus, & magistri officiorum, & quæstoris generalis, munera integre & incorrupte executus, & præter hæc omnia præclaris pietatis officiis, & confessionibus fidei in Christum insigniter nobilitatus, tandem quæstoris generalis pro pietatis defensione, dum adhuc munere fangebatur, certamen ingressus, illustri martyrij corona gloriose redimitus fuit.

De compluribus tum viris tum mulieribus.

CAP. XXIIII.

Quid iam reliquos martyres nominatim commemorare attinet, aut virorum multitudinem enumerare, aut varia plagarum & suppliciorum genera, quæ insignes martyres perpessi sunt, oratione depingere? qui partim securibus percussi interierunt, sicut his, qui erant in Arabia, contigit: partim cruribus confractis diuexati, veluti his, qui in Cappadocia versabantur, accidit: partim etiam pedibus in sublime appensis, capiteq̄ue in terram demisso, igne paulatim succenso & leniter exardescente, & fumo è materia accensa ascendente, suffocati, quemadmodum illis qui in Mesopotamia morabantur, euenit: partim naso, auribus, & manibus amputatis, cæterisque corporis membris dilaniatis deformati, vt his qui incolebant Alexandriam obtigit.

Quid opus est etiam eorum, qui Antiochia martyrium

subierunt, memoriam renouare? quorum alii candenti-
 bus craticulis suppositis, non ad mortem vsque, sed ad
 longinquum & diuturnum cruciatum assati: alii dextram
 in rogam immittere maluerunt, quam eadem detestan-
 das victimas attingere? Ex quibus nonnulli priusquam
 capti erant, & in manus insidiatorum venerant, ne rei pe-
 riculum facerent, ex altis ædium tabularis, se præcipientes
 deiecerunt, sicq; sua morte, insignite impios, prædâ, quam
 in illis afflictaendis se capturos sperabant, omnino pri-
 uare statuerunt. Inter quos erat mulier quædam sancta,
 admirabilis, corporis figura mulier quidem, virtute
 autem animi plane vir, aliisque rebus præ cæteris An-
 tiochiæ ciuibus, vt diuitiis, generis nobilitate, & gloria
 apud omnes eximia: quæ quidem geminas filias virgi-
 nes, corporis pulchritudine, & ætate integra præstantes
 habuit, easque pietatis institutis studiose educauerat: hæc
 mulier, quum quidam improbi in eam eiusq; filias graui
 inuidia incensi, illas in obscuro latitantes omni ratione
 vestigandas curiose laborasset, & postea certiores facti
 ipsas in aliena regione versari, Antiochiam accersen-
 das sedulo curassent, ac iam plane quasi satellitum reti-
 bus circumiectæ tenerentur, hæc mulier inquam simul
 ac cum se, tum filias in eiusmodi discrimina deuenisse
 videret, & acerba tormenta, quæ ob hominibus inflige-
 rentur illis oratione exposuisset, & de stupro, re planè
 tormentis intolerabiliore, quo aduersarii eas violaturos
 minarentur (de quo ne verbum quidem ad extremas au-
 res vel ipsa vel illæ allabi sincere deberent) eas sedulo
 admonuisset, quum etiam animas, dæmonum seruituti
 tradere, omnibus mortis, & exitii generibus deterius
 esse docuisset, omnium istorum malorum liberationem
 esse, ad dominum tanquam ad portum salutis confu-
 gere. Vnde omnes simul vno animorum consensu, &
 sententia conueniunt, corpora vestibus decenter ad-
 ornant: ac quum ad medium iter ventum esset, paulu-
 lum de viâ decedendi, naturalis necessitatis explendæ
 causa, postulant à satellitibus qui eas ducebant potesta-
 tem: qua impetrata, de repente ad fluuii ripam profe-
 ctæ, se in profluentem gurgitem præcipitarunt. Atque

istæ

istæ quidem hoc genere mortis se sua sponte affecerunt. Ita igitur cum istis actum est, At alias geminas virgines etiam Antiochiæ omnibus rebus valde præstabiles, vere germanas sorores, inclytas genere, vitæ integritate insignes, ætate adulescentulas, venustas corpore, animo graues & venerandas, moribus pias, studio & industria admirabiles, adeo vt terra impia nõ digna videretur, quæ tales sustentaret, in vastos maris fluctus nefarii dæmonum ministri immergere præceperunt. Hæc apud hosce gesta accipimus, Sed cruciamenta quæ martyres in Ponto tolerabant, auditu videntur horrenda. Quidam enim digitos manuum ab extremis vnguibus, acutis arundinibus transfixos habuere: aliorum terga plumbo igni liquefacto, eiusque materia iam ebulliente efferuescenteque perfusa, & corporis partes, quas natura maxime ad necessitatem fabricata est, flammis adustæ: nonnulli membris pudendis ac visceribus, cruciatus turpes, intolerandos, & eiusmodi, quos exprimere reformidat oratio, subierunt: quas quidem generosi illi & æqui scilicet iudices, quo suam solertem indolem, ingeniorum acumen ostenderent, & perinde ac si singulare quoddam sapientiæ specimen in ea re eluxisset, attentius excogitarunt: atque in nouis suppliciorum generibus inueniendis, non aliter atque in certamine præmia assequi laborabant, seque inter ipsos superare obnixè contendebant. Ista igitur calamitatum genera, quæ sequuntur, postremum locum obtinuerunt. Cum malorum nobis impositorum exuberantia deinceps defessæ essent, & in hominum cæde defatigati, & satietatem ac fastidium in sanguinis effusione cepissent, & se ad tantam clementiam ac facilitatem, vt ab illis putabatur, se conuertissent, vt de reliquo nihil acerbitatis contra nos moliri viderentur (non enim decere aiebant, ciuitates intestino cruore contaminare, neque propter crudelitatem imperium eorum qui principatum tenebant, vt pote omnibus tam clemens & mansuetum ignominia nota afficere, sed potius beneficentiam humanæ ac vere regie potestatis in omnes patere oportere, vti nulli de reliquo morte multarentur, hocque contra nos supplicij

genus propter imperatorum benignitatem remitti relaxariq; debere) tū oculos effodi, alterum crus suffringi solū præcipiebatur. Ista enim apud illos mitia admodū cruciamēta, atq; lenissima supplicia, quibus nos torquerēt videbātur: adeo vt dicēdo explicare nō possimus innumerabilē ferē multitudinē eorū, quorū ob istā impiorū mansuetudinē nō solū oculi dextri sicis antē eruti fuerūt & excisi (quibus euulsis, loca in quibus inerant ferro eandēte exusserunt) sed læui pedes etiā in ipsis flexuum commissuris, cauterio ambulati fuerunt, & prorsus debilitati. Ac postea isti ad æris metalla in singulis prouinciis nō tā ministerii causa, q̄ afflictationis & cruciatus condēnati. Ad extremū autē alii eorum, quos ne recēdere quisquā poterit (strenue enim illorum & viriles res gestę omnem dicendi facultatem euincunt) in alia certamina fortuitu inciderunt.

De ecclesie presidibus, qui fuso sanguine, veram quam professi sunt pietatem, ostenderunt.

CAP. XXV.

His igitur tēporibus illustres & eximii martyres, per vniuersum mundū magna gloria decorati, cū suæ mētis, magnitudinis & roboris spectatores, vbiq; nō sine causa obstupescerūt, tū insignia diuinæ reuera & inexplicabilis seruatoris nostri potētis indicia, suis recte factis ante omniū oculos statuerunt. Verū quęque nominatim historia prosequi, vt longū, ita vix posse fieri videtur. Attamē inter ecclesiasticos præsides, qui in præclaris ciuitatibus martyriū passi sunt, primo omniū tanq̄ in columellas ad piorū memoriā erectas, regni Christi restē, Anthimū episcopū vr̄bis Nicomedensū, qui capitis pœna multatus obiit mortē, inscribamus. Ex martyribus autē Antiochiæ, Lucianū illius ecclesie presbyterū piis vitę institutis facilē præstantissimum, qui Necomediæ etiā, imperatore præsentē, cœleste Christi regnum, primum sermone per apologiam, deinde rebus gestis palam prædicauit. Ex martyribus Phænicie longe illustrissimos omninoque sanctissimos pastores Christi gregis rationalis, Tyrannionem episcopū ecclesie Tyri, & Zenobiū presbyterū ecclesie apud Sidonē numeremus.

Siluanum

Silvanum etiam episcopum ecclesiarum, quæ erant Emi-
 sæ, qui cum aliis in eadem vrbe bestiarum prædo factus,
 in martyrum chorum relatus fuit. Verum ambo illi mar-
 tyres (quos modo citavi) verbum dei Antiochiæ per
 mortis perpersionem magnopere illustrarunt: quorum
 alter, Tyrânio népe, in profundos maris vortices demer-
 gitur: alter, Zenobius videlicet, medicorū prope summ^o,
 tormentis in latera sua incussis tolerâter & placide exit
 è vita. Inter martyres qui in Palæstina cæsi fuerunt prin-
 cipem locum obtinebant, Silvanus ecclesiarum Gazæ e-
 piscopus, de quo supra diximus: Peleus item, & Nilus e-
 piscopi Aegypti, antea etiam cōmemorati: quinetiã ma-
 gnum decus ecclesiæ Cæsariensis inter istos à nobis nu-
 meretur, Pamphilus præbyter, qui vt diximus ex homi-
 nibus nostræ memoriæ propter pietatis admirabilitatē
 facile primas tulit. Ex illis qui Alexãdriæ, qui in reliqua
 Aegypto, & Thebaidē egregie & præclare occubuerūt,
 Petrus ipsius Alexandriæ episcopus diuinū quoddã de-
 cus eorū, qui veræ in Christo religionis doctores & ma-
 gistri extiterunt, primus hoc loco citetur, & præbyteri
 vnà cū illo Faustus & Didius, & Ammoni^o, perfecti Chri-
 sti martyres. Phileas item, & Hēsychinus, & Pachumius,
 & Theodorus, ecclesiarū, quæ sunt in Aegypto episco-
 pi, aliq; præstantes viri præter istos prope infiniti, qui in
 ecclesiis regionis & loci cuiusq; vbi habitabāt, multorū
 sermone celebrantur. Talis fuit persecutio cōtra nos cō-
 citata: quæ ab ecclesiarū euersione & vastitate initiū sum-
 psit: quæq; propterea quòd imperatores variis tēporib^o
 eandē renouabāt, indies magis magisq; accreuit: vnde
 multiplicia & diuersa fuerunt athletarum pro pietate
 dimicantium certamina confecta: innumerabilisq; extitit
 martyrum multitudo in singulis prouinciis, quæ à Ly-
 bya, per vniuersam Aegyptum, Syriam, & partes versus
 orientem, & vndiq; ad oras vsq; Illyrici pertinet. Nam
 ea loca, quæ illis iam demonstratis, adiacent, vt Italia
 tota, Sicilia, Gallia, & quæ ad solem occidentem ver-
 gunt, & ad Hispaniam, Mauritaniam, & Affricam se
 porrigunt, vbi non duobus primis annis integris impe-
 rii persecutionis sustinuerāt, celerrime clementi dei ob-
 suto, sunt pacē & pacis tranquillitatem consecuti: quan-

Quod quidem caelestis providentia tandem ob vitæ innocentiam, & fidem, illorum miserta est.

Quales fuerunt pietatis inimici, & de iis quæ acciderunt illis, qui à nostra religione alieni erant.

CAP. XXVI.

DEinceps in hoc libro, qui est adhuc in manibus scelerum contra nos admissorum palinodiam, id est, retractationem iis, quæ supra posui aduectam: & ea quæ ab initio persecutionis contigerunt (quæ sane hæc historiam perlecturis vtilissima fore puto) simul exponam. Ante persecutionis tempestatem contra nos ab imperatoribus Romanis excitatam, quanta bonorum affluentia status imperii frueretur, quamque prospere & feliciter cum eo actum esset, dum benigno erant & placido animo erga nos affecti, quæ dicendi vis potest satis perspicue explicare? præsertim cum qui summam totius imperii administrarent, ad decimum imperii annum, quintam ad vigesimum, festis, & celebri conuentu, splendidissima pompa, & festiua lætitia honorificè triumpharint, & cum pace constante & firma, omnino vitam degerint. Sic igitur cum potestas in dies singulos sine impedimento magnas faceret progressiones, ex insperato pace aduersum nos commutata, sæuum, & crudele persecutionis bellum concitarunt. Et cum secundus iam annus eius tumultus in nos commoti nondum esset completus, facinus quoddam nouum & inauditum in imperio factitum, eius statum penitus commutauit evertitque. Nam qui primus nostrarum ærumnarum author erat, Diocletianum dico, in tam lethalè & pestiferum morbum delapsus est, ut meus inde de statu suo deturbaretur: & propterea cum ille ipse, tum alter Valer. Herculum Maximianum intelligo, qui secundas post illum in imperio obtinebat, imperii honore ut supra diximus deposito, plebeium & priuatum vitæ genus sibi delegit. Ac vix ista erant confecta, cum totius imperii status dissensione in duas partes diuisus fuit: res plane eiusmodi, qualem non aliquando obtigisse memoriæ proditum est. Non
longo

longo temporis interuallo interiecto imperator Constantius, qui & vitam vniuersam placidissime instituerat, & erga subiectos suos benevolentissime animatus erat, & erga diuinum verbum amicissime affectus, filium suum ingenuum Constantinum, Imperatorem, & Augustum pro se relinquens, communi lege naturæ finem viuendi fecit. Qui primus ex imperatoribus propter singularem morum facilitatem & mansuetudinem, qua propter ceteros præstabat, apud Romanos in deos relatus fuit, omnique splendore & dignitate, quæ imperatori debetur, post mortem honoratus: qui etiam solus inter imperatores nostræ memoriæ totum regni sui tempus (vt imperii dignitas postulat) exegit, & cum in aliis rebus humanissimum, liberalissimumque omnibus seipsum præbuit, tum persecutionis contra nos intentatæ minime particeps factus est: sed pios Christianos, qui sub ipso vitam degebant, à damno contumeliaque, penitus immunes conseruauit: & neque ecclesiarum ædificia demolitus, neque aliquod scelus in nos machinatus, fœlicem & beatum admodum vitæ exitum consecutus est: qui solus ex imperatoribus propter filium ingenuum, quem post se in imperio successorem suum reliquit, principem in omnibus modestissimum sanctissimumque, prospere & gloriose abiit è vita. Huius filius Constantinus, statim, vt imperii gubernacula suscepit, imperator summus & augustus, cum ab exercitibus, tum multo antea ab ipso deo summo omnium imperatore declaratus, se paternæ pietatis erga nostræ religionis disciplinam æmulum & imitorem præstitit. Hic eiusmodi fuit. Licinius deinceps communi eorum suffragio & consensu, penes quos summa potestas erat, Imperator & Augustus declaratur. Ista grauitè animum ostenderunt Maximini: qui solus ad id temporis vsque Cæsar appellatus fuisset, qui que maxime tyrannidi deditus, dignitatem imperii sibi vi arripuisset, & Augustus ipse à seipso factus. Interea valerius Herculus Maximianus, quæ supra dixi, postquam imperium sua sponte deposuisset, insidias Constantino tendisse deprehensus fuit, & turpissima morte tandem decubuit. Ante quod tempus inscriptiones ad honorem attributæ,

attributæ,

attributa, statuaq; & alia eius generis, quae statui ad eius
 gloriam decernebantur, tanquam scelesto & impio adempta
 fuerunt. Huius filius Maxentius, qui Romae tyrannidē oc-
 cupare instituit, in ipso imperii sui ingressu, fidem nos-
 tram se amplecti, quō populo Romano placeret, eumque
 blanditiis deliniret & assentatione, callide simulavit. Et
 ea de re illis, qui eius parebāt imperio, in mandatis dedit,
 ut persecutionē contra Christianos remitterent: tantam
 que pietatis speciē prae se tulit, ut humanus & valde man-
 suetus prae illis qui imperiū ante tenuissent, cuiq; videre
 tur, verum non talem re ipsa se praestitit, qualis opinione
 hominū fore putabatur, sed in omnia scelera praecipuus de-
 lapsus, nullum impietatis, nullū intemperantiae facinus praeter-
 misit: quippe adulteri, & cuiusq; vitiositatis corrupte-
 la se cōtaminavit: legitimas uxores viris eripuit, easq; tur-
 pissima ignominia cōtumeliaq; affectas, ad viros denuo
 remisit. Atq; haec nō in ignobiles solum, & obscuros qui
 de homines moliri cōcepit, sed in illos, qui in senatu Ro-
 mano principē locū tulerunt, quiq; fuerunt facile praesanti-
 tissimi, effrenatius insultare. Omnes vero tum populus
 tum magistratus illū grauiter metuentes, acerba vexaban-
 tur tyrannide. Neq; tamen ipsis quantumuis pacato &
 tranquillo animo asperā ferentibus seruitutē, vlla extitit
 liberatio tyrannicę crudelitatis, in eorū interuicium
 grassantis. Nam quodā tēpore, leni admodum occasio-
 ne arrepta, populū in cādem satellitibus suis exposuit.
 Infinitaq; populi Romani multitudo in media ciuitate
 non Scytharū, nō Barbarorū, sed domesticorū suorum
 hastis, & armis cuiusq; generis, misere trucidata fuit.
 Quanta cades facta sit, qui senatorum, propter insidias,
 quae ipsorū parabantur diuitiis, erant nunc vno, nūc alio
 crimine falso in eos conficto, è medio sublatis, vix percē-
 feri potest. Ad extremū vero istius scelera delabebātur
 ad magicarū praestigiarū cōmenta, quippe interdū mulie-
 res grauidas dissecuit: nōnunquā tenerorū infantium scru-
 tatus est viscera, aliquādo leones maclauit, infādas nō ra-
 ro adiurationes ad demones excitandos, quo illorū sub-
 sidio bellū ingruens depelleret, auerteretq;, vsurpauit.
 Istarū namq; rerū adiuuamento spes in illius mēte insidebat
 victoriam

victoriã ex animi sententia sibi successurã. Iste igitur Romã tyrannidẽ exercẽs, vix dici poterit, quã molitus sit, quo homines suo imperio subiectos in seruitutẽ redigeret: vsq; adeo vt iam in tanta penuria & egestate alimenterũ ad vitam necessariorũ constituerentur: quantã non alias Romã viguisse homines nostri tẽporis affirmant.

De Maximino tyranno in oriente.

CAP. XXVII.

Maximinus tyrannus in oriente cum Maxentio, qui Romã imperabat, tanquam cum fratre, in omni scelerum genere sui simillimo, amicitiam animo simulato contraxit, & veteratorio, eamque longo tempore callide obtegere laborauit: verum postea tandem deprehensus, debitas simulationis pœnas persoluit. Videtur plane dignum admiratione, quo pacto iste finitima & germana scelera cum tyranno, qui Romã rex imperium, consciuerit, immò vero etiam nequitia & improbitatis, priores partes omnino obrinuerit. Nam qui arte magica, & falsis præstigiis pollebant maxime, ab isto maximum dignitatis gradum adepti sunt: quandoquidem erat cum primis meticulosus, & vana superstitione obligatus, erroremque illum in sciscitandis idolorum & demonum oraculis plurimi faciebat. Etenim absque diuinationibus & oraculis ne transuersum vnguem, quod aiunt, se audebat commouere. Ob quam causam grauiorem crebrioremque persecutionem, quã maiores sui, contra nos concitauit. Exempla autem deorum, in singulis ciuitatibus erigi, & delubra, tẽporis longinquitate vastata, mature renouari præcepit, idolorum que in omni loco, & ciuitate constituit sacerdotes, & his in singulis prouinciis pontificem vnum, qui in omnimunere egregie obeundo & luculenter cæteris in re. viris præstare videretur, Cohorte, & satellitio stipatum præfecit: & omnibus deniq; maleficis & prestigatorib⁹ tanquam religiosis & deorum numini charis, præfecturarum dignitates, & maxima priuilegia impertire non erubuit. Deinceps ab his ad alia nequitia genera se transtulit, & non vnam ciuitatẽ, aut regionẽ, sed omnes omnino prouincias suo imperio subiectas, auri, argenti

& in.

EUSEBII HISTORIAE

& ingentium facultatum exactioibus, mandatis grauis-
simis, & aliis aliquādo multīs supra modū diuexauit op-
pressitque. Locupletum etiam fortunas ipsis à maiori-
bus traditas vi abstulit, quo diuitias, & pecuniarum tan-
quam cumulos aceruatim suis assentatoribus largiretur.
Eò porro temulentia, & ebrietatis ferebatur, vt insani-
ret inter pocula & de mentis gradu deturbatus, rabie
quadam fureret, & ea imperaret ebrius, quorum postri-
die sobrium maxime pœniteret. In crapula & effusa li-
bidinis exuberantia nemini secundus fuit. Improbis
magistrorū tum magistratib⁹, tum subiectis suis seipsum
effecit. Atque vt suos induxit milites, vt omni luxu &
intemperantia diffluerent: sic praesides & praetores inci-
tauit, vt omnes rapinarum & auaritia vias contra subie-
ctos insisterent, & fere cum illo tyrannidem vsurparēt.
Quid vesana & temeraria viri flagitia commemorarem?
quidne emunerem multitudinem mulierum ab eo con-
stupratarū? Nullam enim ciuitatem aliquādo ipse præ-
rerit, in qua non pudicas mulieres vitiarit, in qua virgi-
num raptiones non fecerit. Atque ista eius facinora non
contra Christianos solum (qui morte contempta, eius ty-
rannidem pro nihilo putarunt) sed contra alios omnes
grassabantur. Nam quod ad Christianos attinet, qui vi-
ri erant, ignis, ferri, clauorum transfixorum cruciatus,
immanes bestias, maris profundos gurgites, membro-
rum amputationes, ignitorum instrumentorum iniustio-
nes, oculos extumulatos effoscosque, corporis partium
extremitates abscissas, famem præterea, metallorum &
vinculorum denique ærumnas exantlarunt: atque hæc
omnia pro pietate patienter & tranquillo animo ferre
maluerunt, quàm dei cultum cum idolorum veneratione
commutare. Atque ex mulieribus non minus ipsis viris
à doctrina diuini verbi animatis roboratisque, pars eadē
cum viris certamina subeuntes æqua virtutis præmia re-
portarunt: pars ad corruptelam & obscenam libidinis
turpitudinem inuitæ attractæ, vitam citius inter necioni,
quàm corpus dedecori tradere instituerunt. Sola nāque
mulier quædam Christiana inter alias à tyranno adulte-
rii labe turpificatas, ex Alexandrinis mulieribus nobilif-
sima

sima splendidissimaq; Maximini animum libidine furen-
 tem, & lasciuientem intemperantia, magnitudine quam
 altissimi animi deuicit: quæ quanquam aliis rebus, vt o-
 pibus, generis splendore, & exquisita doctrina insignis
 fuit, tamen ista omnia præ pudicitia postputauit: Istam
 quidem Maximinus, licet sæpe orasset, vti ipsius cupi-
 ditati obsequeretur, eaque denegasset, seque mori para-
 tam ostenderet, tamen interficere non potuit, (quippe li-
 bido potius, quam iracundia mentis suæ tenebat impe-
 rium) sed illam fuga mulctatam, omnibus facultatibus
 spoliavit. Innumerabiles etiam aliæ Christianæ, quoniã
 stupri minas, quibus prouinciarum præfecti eas terrere
 conabantur, ferre non poterant, omnia cruciamento-
 rum, distortionum, & mortiferi supplicij genera liben-
 ter subierunt. atque hæc sane permagna admiratione di-
 gnæ sunt. verum illa mulier Romæ maxime admirabi-
 lis, quæ ex omnibus, quibuscum Maxentius tyrannus
 ibi non dissimilem à Maximino turpitudinem admit-
 tere conabatur, & nobilissima reuera, & modestissima
 fuit. Hæc enim simul atque audiuerat eos, qui tyran-
 ni rogatu talia administrare solent, pro foribus ædium
 astare (Christiana etiam ipsa erat) & virum suum, qui
 fuit præfectus Romanorum, metus causa eos ipsam ar-
 reptam permisisse abducere, paululum temporis popo-
 scit, vt corpus eius decenter exornaret. Itaque cubicu-
 lum ingreditur, quæ cum sola esset, ense seipsam transfi-
 git: & mortua statim concidit, cadauere perductoribus
 imperatoris relicto. Quæ suis rebus gestis, omni voce ac
 sono multo clarius personantibus, omnibus hominibus
 cum qui iam sunt, tum qui post futuri sunt, palam fecit,
 solam Christianorum continentiam nec pecunia expu-
 gnari, nec morte extinguï posse. Tanta & tam multipli-
 cia improbitatis genera, à duobus tyrannis, orientis &
 occidentis regna occupantibus, eodem temporis momẽ-
 to forte admissa fuerunt. Ecquis vero tantarum miseria-
 rum causa accurate conquisita, animo hæsitare poterit,
 eas ex persecutione contra nos excitata natas esse, præ-
 sertim cum non prius imperatorum res essent eiusmodi
 confusione ac perturbatione liberatæ, quam Christiani
 suam

EVSEBII HISTORIAE

suam denuo recuperassent libertatem? Nam toto decem annorum spatio, persecutione longe lateq; manante, nihil eorum, quæ vel ad insidias, vel ad bellum intestinum spectabant, ab illis absesse videbatur. Nullum enim mare tuto trajici poterat, neque hominibus integrum erat aliunde tranare, quin omnibus deudæretur suppliciis, vt distortionem membrorum, laterum dilaceratione & tormentis cuiusque generis, dum quæstio de illis habebatur, nū ab hostibus venissent, & ad extremum crucibus, aut incendiij flammis torquerentur. Adde huc clypeorum, & loricarum, telorum, hastarum, & aliorum instrumentorum cuiusque modi ad bellum faciendum accommodatorum apparatus, cum triremibus, & armis ad præliū nauale spectantibus, quæ in locis quibusque in vnum congregabantur. Neque cuiquam aliud quicquam expectare licebat, quàm hostium quotidie incursionem. Hasce res postea, fames & pestis insequerentur. De quibus oportune, quæ consentanea sunt, suo loco dicemus.

De rerum in melius mutatione.

CAP. XXVIII.

Eiusmodi erant ea mala, quæ toto persecutionis tempore regnarunt: cuius æstus vt octauo anno, Dei iuvante gratia, cœpit paululum deferuescere, sic decimo anno confopitus fuit. Nam cum diuina, & caelestis gratia clementem suum & propitium obtutum in nos ostendere dignata esset, tum imperatores nostri temporis, illos dico per quos iam dudum persecutionis tempestates in nos excitatæ fuissent, sententia sua tanquam miraculo quodam diuino commutata, palinodiam vt aiunt, cecinerunt: & benignis edictis atq; decretis humanissimis de nobis promulgatis, persecutionis ardorem in primis efferuescentem prorsus extinxerunt. Neq; quisquam huius mutationis causam ad humanum auxilium, aut ad imperatorum, vt fortasse aliquis dixerit, commiserationem & clementiam referat (multum sane abest, præsertim cum in dies singulos plures suppliciorum formæ, & acerbiores ab initio ad illud vsq; tempus contra nos ab illis excogitatæ sunt, dum cruciamenta nobis inflictæ va
riis

riis machinis aliàs aliter innouare studebāt) sed ad Deū reuera, qui tam benigne nobis prospexit, accommodandam: quiq; non modo populo reconciliatus fuit, verum etiam ipsum malorum tanquam architectum, & cladis totius persecutionis præcipuum authorem infectatus, grauius exagitauit. Et quāuis ista diuino iudicio & decreto fieri oporteret, tamen vā, inquit sacer Dei sermo, per quem scandalum venit. *Matt. 18.* Illum ergo castigatio & pœna cælitus inuecta occupauit, & ex ipsa carne exorsa peruasit ad animum. Ex improviso enim in illis corporis partibus, quas natura ob verecundiam contexit atque abdidit, nascitur apostema: deinde in interioribus corporis recēsisibus, vlcus purulentum & fistulosum: Atq; isto rû insanabilis morsus intima depascebatur viscera, quæ quidem infinita vermium multitudine redundarūt: unde fœtor lethalis & pestifer efflatur: quando quidem vniuersa corporis moles ex nimia eius, antequam in morbū delabebatur, helluatione & ingluie, in immensam pinguedinem commutata erat, quæ tum putredine contabefacta, intolerabile & horrendum spectaculum his, qui appropinquabant, exhibuit. Proinde ex medicis alij, qui exuberantem fœtoris graueolentiam ferre omnino non poterant, fuere eius iussu trucidati. Alij, tota corporis mole intumescēte, & in salutis desperationem delapsa, cum nihil opis adferre valerent, crudeliter interfecti.

De Imperatorum recantatione.

CAP. XXIX.

ATqui tyrannus tantis cum miseris colluctans, tandem sua maleficia in pios homines admissa animo recognoscere cœpit. Mentem igitur recolligens, & tanquam rediens ad se, primū Deo omnium rerum creatori se cōfiteatur: deinde suis ad se accersitis, persecutionem cōtra Christianos sine dilatione sedare & cōprimere iubet: lege & decreto imperatorio, ipsos Christianos templa sua exædificare, rem maturare, consueta officia in illis facere, preces pro imperij statu fundere. Statim ergo ipso facto verbis prope consentiente, edicta

B b 2

impe-

EVSEBII HISTORIAE

imperatoria in singulis ciuitatibus palam diuulgantur, quæ quasi palinodiam & retractationem iniuriarum nobis illatarum complexa sunt, ad hunc modum :

Imperator Cæsar, Galerius, Maximinus, Inuictus, Augustus, Pontifex Max. Thebaicus Max. Sarmaticus Max. V. Persarum Max. Germanicus Max. Aegyptiacus Max. ij. Carporum Max. vj. Armeniorum Max. Medorū Max. Adiabenorū Max. Trib. Pot. xx. Dictator xix. Cos. viij. Pater patriæ, Procos : & Imperator Cæsar Flavius, Valerius, Constātius, Pius, Fortunatus, Inuictus, Augustus, Pontifex Max. Trib. Pot. Dictator, V. Cos. Pater Patriæ.

Procos.

Inter cætera, quæ pro communi reip. vtilitate & commo statuimus, volebamus iam antea ex veterum legū institutis, & publica Romanorum disciplina, omnia corrigi, inq; pristinum statum restitui : & prouidentiam ac curam haberi, vt Christiani, qui maiorum suorum sectâ & religionem deseruissent, ad rectam eiusdem institutionem reuenterentur. Verum quoniam illi tanta animi insolentia inflati sunt, tantaq; elati arrogantia, vt quæ erāt à veteribus decreta (quæ quidem fortasse maiores eorum sanciuerant) nullo modo sequerentur, sed suo quodam instituto, & vt cuique visum erat, sic quisque sibi cū leges promulgare, tum easdem obseruare, tum in variis locis varios hominum conuentus cogere veller, nos propterea edictum illico tulimus, vt ad veterum instituta se transferrent : vnde complures periculo vitæ obiecti, nonnulli grauitè perturbati, varia mortis genera sustinuerunt. Et quoniam non pauci in eadē pertinacia persistebant, & eos nec diis cælestibus debitum cultum tribuere, neque Christianorum Deo venerationem adhibere videbamus, nos idcirco ad mansuetudinem nostrā, & diuturnam clementiæ nostræ consuetudinem, qua omnibus hominibus veniam impartire solebamus, oculos conuertentes, libentissime istud concessimus, vt homines denuo se libere Christianos profiteantur, vt ædes in quibus conuenire solent, resarciant : sic tamen vt nihil contra publicam Romanorum disciplinam moliantur. Per alias itē literas iudicibus significabimus, quid in his obser-

; obseruare oporteat. vnde Christiani hac indulgentia à
 ; nobis concessa deuincti, debent Deo suo obnixe suppli
 ; care pro nostra, pro reip. pro sua ipsorum salute, vt quo
 ; uis modo cum publicis rerum status integer & incolu-
 ; mis retineatur, tum ipsi in suis familiis absque cura & so-
 ; licitudine vitam traducere queant. Quin ille ipse qui
 ; huius edicti author fuit, non longo tempore post huius-
 ; modi confessionem habitam, è vita migravit, doloribus
 ; quibus erat oppressus, liberatus. Istum etiam fertur, præ-
 ; cipuumque calamitatis, quæ Christianis in persecutione
 ; contigerat, authorem extitisse: & iam pridem ante tu-
 ; multum à cæteris imperatoribus concitatum, Christianos,
 ; cū qui in illa militia versabantur, tum primū omniū,
 ; qui in ipsius familia degebant, vi ex fide auertere cona-
 ; tum: & illos ex dignitatis militaris gradu, in quo loca-
 ; bantur deiecisse: hos autem maxima contumelia & de-
 ; decore affecisse. Iam vero aliis intulisse mortem: ad ex-
 ; tremum cæteros imperatores, qui erant cum ipso in illo
 ; honoris amplitudine coniuncti, ad omnes Christianos
 ; persequendos commouisse: quorum imperatorum vitæ
 ; exitum scriptis mandare operæ pretium arbitror. Cum
 ; imperiū omnino inter quatuor principes esset diuisum,
 ; duo illorum qui & imperatores antea declarati fuerant,
 ; & honore prælati, cum non integro biennio, post perse-
 ; cutionis initium regnassent, se sicut ante à nobis demon-
 ; stratum est, abdicarunt imperio, atque reliquum vitæ suæ
 ; tempus plebeio & priuato quodam viuendi genere de-
 ; gerunt, huncq; vitæ finem, quem deinceps exponemus
 ; sunt consecuti. Alter & gradu honoris, & designationis
 ; tempore primas imperij partes affecutus, diuturna & as-
 ; pera in primis corporis ægrotatione pedetentim conta-
 ; bescens, occubuit. Alter secundas ab eo adeptus, pro-
 ; pter plurimos suos perditos & fraudulentos conatus,
 ; quos consciuisset in vita, dæmonis incitatione ac pulsu,
 ; extremum vitæ spiritum laqueo interrupit. Ex illis qui
 ; hos proxime secuti sunt, posterior, quem totius persecu-
 ; tionis caput & authorem fuisse diximus, tales cruciatus,
 ; quales supra ostendimus, tolerauit. Qui autem hunc in
 ; regno antegressus est Constantius, imperator benignif-
 ;

EVSEBII HISTORIAE

simus, mansuetissimusque, ut supra dixi, vniuersum regni sui tempus preclare pro imperij dignitate traducens, non propterea solum, quod in aliis rebus omnibus seipsum humanissimum & liberalissimum quibusque praebeuit, verum etiam quod persecutionis contra nos intentatae, nullo modo particeps fuit, imo vero pius sub eius imperio subiectos illaesos conseruauit & incolumes: ac neque sacras ecclesiarum aedes diruit, neque aliud quicquam maleficij in nos omnino molitus, per beatum reuera perque, foelicem vitae exitum obtinuit: solusque in suo regno propter ingenium filium, imperij successorem, principem in omnibus rebus modestissimum religiosissimumque, praecalam & gloriosam mortem oppetiuit. Eius autem filius simulac fuit in imperio constitutus, imperator summus & Augustus ab exercitibus appellatus, paternae erga nostram religionem pietatis vestigia diligenter est persecutus. Tale igitur vitae exitum superiores quatuor imperatores varijs temporibus habuerunt. Ex quibus solus ille, quem paulo ante posuimus, cum caeteris ad imperium deinceps ascitis, postea confessionem supra declaratam, per edictum scriptis editum omnibus palam fecit. Verum quid postea consecutum sit, iam considerandi opportuna se offert occasio.

EVSE-